DE IANO SUMMO ROMANORUM DEO.

SCRIPSIT

S. LINDE.



LUNDAE MDCCCXCI.
TYPIS BERLINGIANIS EXPRESSIT FR. BERLING.

De Iano summo Romanorum deo.

Scripsit

S. LINDE.

Quanta est varietas rerum humanarum mutuo crescentium et decrescentium, tanta est etiam varietas ipsorum deorum, ut de deis romanis animadvertit Mommsen (Röm. Gesch. I,[8] p. 159). Ac summi quidem dei omnium fere gentium huic vicissitudini maxime fuerunt subiecti: nam neque Iuppiter princeps deorum romanorum semper fuit neque *Ζεὺς* graecorum, quod satis ostendunt testimonia scriptorum antiquorum, nam et fabulae ipsae et poetarum de origine deorum narrationes idem prorsus confirmant. Itaque in theogonia Hesiodi (v. 138 et 159) *Οὐρανὸς* et *Κρόνος*, qui unus erat Titanum, munere dei potentissimi ex ordine fungentes inducuntur. Horum enim uterque antea, eundem tenuit locum, quem postero tempore vi assumpsit *Ζεύς*. Immo vero *Ζεὺς*, *θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν* (ib. 457), ipse est *Κρονίδης, ὑπερμενὴς Κρο-ίων* (v. 535) vel *ὁ παγκρατὴσ Κρόνου παῖσ* (Soph. Phil. 680). Neque aliter rem exposuit Apollodorus, cuius Bibliotheca ab his incipit verbis: *Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστησε κόσμου.* Verissime igitur, opinor, apud Aeschylum (Prom. v. 957) Prometheus de duobus deorum tyrannis regno expulsis (*δισσοὺς τυράννους ἐκπεσόντας ἠσθόμην*) nuntium Iovis monet. Nam cur *Οὐρανὸς* et *Γαῖα* quasi imagines adumbratae, ut voluit Welcker (Gr. Götterl. I, p. 265), habeantur, vix ulla est causa iusta. Tria enim illa imperia, quae *Οὐρανὸς, Κρόνος, Ζεὺς* alius post alium tenebant, plane ficta et commenticia esse non possunt, sed veterrima narratione ore propagata sine dubio nituntur

(cfr Decharme, Mythol. de la Grèce ant. p. 8). "Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit, exsectum Caelum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Iove", ut est apud Ciceronem (N. D. II § 63). Ceterum *Οὐρανός* et *Κρόνοσ* ad proethnicam aetatem pertinere videntur, quam ob rem etiam horridioris vetustatis imaginem reddunt. A Prellero (Gr. Myth. I² p. 41) *Κρόνος* et *Ῥέα* quasi novae formae Coeli et Terrae habentur. *Τιτὰν,* unde *Τιτᾶνασ* nominari est necesse, a Mayero (Giganten u. Tit. p. 72) deus esse a Crono disiunctus existimatur, potius vero *Τιτὰν* alterum tantummodo nomen eiusdem dei est. Ab Hesiodo vero paullo differt Plato, qui (Tim. 40 c) tria deorum genera ante Iovem (*Δία*) statuit. Praeterea non est, quod valde miremur de deo antiquissimo, qui est *Οὐρανος,* nihil fere praeter nomen esse notum, praesertim cum de temporibus illis antiquissimis haud ita multa norimus. *Κρόνος* vero, qui multo inferioris erat aetatis quique ab Homero magnus (*μέγας*) appellatur (Il. 5, 721), sua ipsius habebat in Graecia sacra, quae *Κρόνια* vocabantur et a Graecis multis locis republica salva celebrari solebant (Preller, Gr. Myth. ² p. 44³).

At non solum apud Graecos haec deorum mutatio cernitur, sed etiam apud unamquamque fere gentem indogermanicam eadem vicissitudinis ratio valuit. Quid? quod, Indos quoque, si carmina vedica perscrutari volemus, tres saltem deos summos coluisse videbimus, nam et *Dyâus* et *Varuna* et *Indra* (cfr Ludwig, Rigveda 3, 310 sq.) iisdem summi dei attributis exornantur — quod quidem vicissitudine imperi sola explicari potest. Nam "*Henotheismus*", qualis a M. Müllero (Essays I 25, alibi) proponitur, nullo modo defendi ferrive potest sententiamque illam Whitney etiam infirmavit et reiecit, nam iisdem temporibus laudibus iisdem celebrari dei diversi cogitari vix possunt, at tamen temporibus aliis aliis deis vicissim pro summis habitis iidem fere honores facillime attribui potuerunt. Neque vero apud Persas, quorum religio philosophiae quandam artem redolet, plurium deorum imperi vestigia plane desunt, siquidem attentius rem consideremus. Celtae quoque plures deos summo honore colebant (confer librum meum, qui inscribitur "Indogermanernas högste gud" p. 79). A Germanis *Tyr*, *Odin*, *Thor* honore principis dei in vicem sunt affecti. Praeterea ut a ceteris gentibus indogermanicis, ita etiam a Slavis et Lithuaniis historica quae dicitur aetate deus tonitrualis (*Perunŭ* et *Perkúnas*) princeps est habitus, cui tamen alios deos aetate antecessisse satis cognitum habemus, exempli gratia *Svarog* et *Svarožic* sunt nominandi (vid. librum meum p. 91). Quae cum ita sint, minime

est mirum apud italicas quoque gentes alterum deum post alterum rerum esse potitum: quare Iano, Saturno *), Iovi principis dei honor vicissim est datus. Nam ut variae et mutabiles sunt omnes res humanae, ita nullius fere populi religio in perpetuum immutata remansit. — Suos quaeque religio reformatores habuit, notos vel ignotos. Potentissimum enim deum constituere praepotens gens vel sacerdotum ordo semel et iterum sine dubio contendit, præsertim cum deinceps potentissimi dei praevaleret sacerdotium. Atqui deos plane novos numquam instituerunt reformatores illi remotissimae antiquitatis, alteri deo alterum nomine solo mutato substituentes. Nam nomina illa deorum principum omnia fere idem (caelum) significare videntur: quam ob rem recte, credo, Schrader (Sprachvergl- u. Urg. p. 432 sq.) de hac re egit, dicens: "Unzählige Beiwörter mag schon die staunende Bewunderung der Urzeit, *vielleicht verschiedene in verschiedenen Teilen der Urheimat*, dem strahlenden Himmelsgott beigelegt haben".

Quamquam vestigia pleraque veteris religionis naturalis Romanorum valde obscurata et nonnumquam plane exstincta videntur, cum praesertim Romani contemplationi subtiliori rerum divinarum se totos numquam dederunt, aliqua tamen ex ipsis ruinis depromi posse speramus. Ac cum universas antiquissimarum gentium religiones in veneratione et cultu naturae rerumve naturalium positas fuisse comparativa, quam vocant, mythologia satis doceat, aliter de deis Romanorum non esse statuendum pro certo habemus. Quare consideratis nominibus, cognominibus, attributis non minus quam fabulis, usu sacrorum, caerimoniis, institutis sacris primam vim ac naturam deorum Romanorum — maximeque Iani diiudicari posse arbitramur.

---

*) Cfr. Macrob. Saturn. I, 7, 14: *In hoc Saturni cultu, quem deorum principem dicitis* cfr. § 13 et 21 ib.

De prima vi atque natura Iani dei ut de origine ipsius nominis multae et diversae sunt prolatae sententiae. Ac cum dei cuiusque naturam ac vim iam nomine indito magnopere admodum declarari et illustrari consentaneum sit, primum de ipso nomine Iani fiat quaestio. Iam vero scriptores antiqui, quibus tamen etymologicis in rebus auctoritas adeo magna non est tribuenda, in nomine illo enarrando contenderunt et elaborarunt. Inter eiusmodi interpretationes, quae sine ulla dubitatione in numero incertarum et inanium sunt numerandae, commemorem interpretationem illam, quae est apud Festum p. 52 (ed. Muell.) s. v. *Chaos*, ubi mirum in modum Ianus quasi *Hianus* nominari ab hiando dicitur. Tum vero Ciceronis veriloqvium — quod quibusdam placuit — est nominandum. Hic quidem Iani nomen ab *eundo* esse ductum putat (N. D. II, c 27 § 67). Sed quanti Cicero etymologus habendus sit perspicere licet, si consideramus reliqua deorum nomina ab eodem (ib. c. 25, 26) enarrata: nam non magis est credendum Ciceroni, dicenti Ianum ab eundo nominatum esse quam Venerem a *veniendo: "quæ autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt"* (N. D. II § 69). — *"Iuppiter vero*, inquit, *est iuvans pater.* Iunonem quoque a *iuvando* nominatam et Neptunum a *nando* credit. *"Mater autem est a gerendis frugibus Ceres tamquam Geres. — — Iam qui magna verteret Mavors: Minerva autem, quae vel minueret vel minaretur"*.

Re vera autem Iani nominis forma, si ab eundo esset ductum, ad similitudinem formarum, quae sunt *euntis*, *eundo*, *eāmus*, veri similiter esset redacta et *Eanus* sonuisset (cfr Corssen, Beitr. zur It. Sprachk. p. 352) — quod quidem Cornifici verba (Macrob. Saturn. I, 11): *Cicero non Ianum sed Eanum* *), *nominat ab eundo* sibi velle videntur, ut pronominalis quoque radix *i* formas *e-orum*, *e-arum* cet. praebet. Sed iam per se nomen "iens" significans non satis dignum est maiestati dei illius summae. Quod vero idem magis etiam cadit

*) Sed plane ficta est forma ista, ut iam vidit Pott (Wzwb. I, 965 — cfr. Corss. Beitr. z. It. Spr. p. 352 ann.

in sententiam eorum qui nomen dei cum nomine appellativo *iani* conferunt et idem esse declarant, cuius vocis etymon ambagibus omissis referre licet ad radicem verbalem *i*, quae per figuras *ei*, *i*, *iā* (cfr Brugmann, Morph. Unters. I p. 3 sq.) variat, ut pronominalis quoque radix *i* per *ei*, *i*, *ia* — cfr sanscr. yas pron. rel. vel potius determinativum — quam in latino adverbio *iam* > *ia-sme, ut *tam* > *ta-sme formato (vid. Stoltz, lat. gramm. [2] p. 346 sq.), habes. Nam stirps *iā* l. *i-ā* per multas linguas indogermanicas percrebuit, ut his vocibus cernitur: scr. yā-ti it, yāna incessus, currus, lat. iā-nus, iānua, lit. jóju cet. (cfr Brugm. l. c., G. Meyer gr. gr. p. 372, Johansson deriv. verb. p. 120, Leo Meyer vgl. gramm. [2] p. 159). Nonnulli vero nomen Iani dei, quod Brugmannus (l. c.) uncis inclusit idem atque nomen appellativum iani esse putarunt.

Quae tamen quaestio non adeo difficilis est diiudicatu, ridicula potius esse videtur. Nam deum, quem summum fuisse multis causis probare licet, e re adeo vili atque vulgari quam ianua nomen duxisse plane est incredibile. At contra aeque mirum esse videtur rem adeo vilem atque vulgarem, qualis est *ianus* vel *ïanua*, a nomine dei summi esse appellatam. Iam vero hac de causa valde dubia est ista opinio, quae ex etymologia falsa seu populari, quam vocant, nata est; sed hominibus posteriorum aetatum, qui de origine et propria dei vi nihil fere sentirent, tribuenda est talis nominum permutatio. Nam eiusmodi in errorem persimiles voces, etsi origini dispares, imperitos quasi necessitate saepissime duxerunt — cuius saltem rei exemplis mythologia, quae dicitur, abundat redundatque.

Ita quidem, ut exempla afferam, Graecorum deus, qui est *Κρόνος*, falsa etymologia deus temporis habebatur. Stoici enim, ut apud Ciceronem est (N. D. II c. 25): *Saturnum — eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus graece id ipsum nomen habet: Κρόνος enim dicitur; qui est idem χρόνος, id est spatium temporis: Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia, annisque praeteritis insaturabilitur expletur":* — Eodem fere modo *Ἑρμῆς* a Graecis deus eloquentiae factus est, ideo quod notiones, quae sunt *ἑρμηνεὺς* et *ἑρμηνεύειν*, cum ipso nomine dei cohaerere falso putabant *).

---

*) Cfr Plat Crat. 407 e: *ἔοικε περί λόγον τι εἶναι ὁ Ἑρμῆς, καὶ τὸ ἑρμηνέα εἶναι καὶ τὸ ἄγγελον καὶ τὸ κλοπικόν τε καὶ τὸ ἀπατηλὸν ἐν λόγοις κτλ.*

His consideratis haud ita mirum videri debet Romanos nomen Iani dei cum nomine appellativo *iani*, cum plane consimiles essent voces, confudisse. Ac cum origine obscurum esset nomen dei, vocabula vero, quae sunt *ianus*, *ianua*, *ianitor* cet., omnibus notissima atque aperta, haec ad illud declarandum pertinuisse, necesse est. Itaque Cicero nomen dei illius ab *eundo* ductum esse putavit, ut ad significationem vocum *iani* et *ianuae* *) conveniret, quas tamen a deo nominatas perperam iudicat: "ex quo transitiones perviae *iani* foresque in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur", quamquam propemodum apparet, illum significatione nominum appellativorum cognita ita statuisse. Eodem fere modo vel falsae etymologiae vi factum esse videtur, ut Ianus posteriore aetate omnibus ianuis et viis praeesse crederetur.

Tantum enim in mythologia falsa, quam vocant, etymologia valuit, nam cum significationem et originem dei nominis oblivio obruisset, *ianus* et *ianua*, non adeo dissimilia verba, eodem pertinere credebantur. Quam ob rem de falsa etymologia multo verius id dici potest, quod Cicero de physica (i. e. Stoicorum) ratione dicit (N. D. II c. 27 § 69): "*quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles*".

Quid sibi voluerint *iani* apertis verbis docet Cicero: *transitiones*, inquit, *perviae iani nominantur.* Notissimi Romae iani tres erant transitus pervii et tecti vel arcus, per quos in forum porticibus tabernisque clausum **) introitus daretur. Qui iani iidem esse videntur, quos Horatius *summum*, *imum* ***) (Ep. I, 1, 53), *medium* †) (Sat. II, 3, 19) appellat. Posteriore saltem aetate eiusmodi iani vel arcus per omnes urbis regiones exstructi erant teste Suetonio

---

*) Neque aliter Cicero de ratione, quae inter vocabula Veneris et venustatis intercedat, judicat (N. D. II, c. 27 § 69): "*Quae autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt, atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate*". — Ac re vera compositionis membra compositis ipsis sunt priora habenda. *Venus* enim proprie appellativum nomen est eadem origine atque *ven-ia*, *ven-us-tus*, *ven-us-tas*. Ac quis est, quin videat cognata verba, quae sunt *venustas, venustus,* multum valuisse ad vim Veneris, pulchritudinis deae, constituendam et servandam

**) Quam rem loco Liviano (41, 27) comprobare volo, ubi etsi non de Roma attamen de urbe ad imaginem Romae composita agitur: *Fulvius locavit forum porticibus tabernisque claudendum et ianos tres faciendos.*

***) Ianus *summus* ab *imo* idem est atque totum forum vel totius fori mercatores. Praeterea confer edd. Schmiedi, Ritteri, Kiesslingi.

(† Scholiasta (Acro) ad h. l. annotat: Ianus medius locus dictus prope basilicam Pauli.

(Dom. 13), sed iam temporibus antiquissimis porta Carmentalis duos transitus laterales habuit, qui iani sunt nominati, nam a Livio (II, 39) Fabii *dextro iano* portae Carmentalis (a Chr. n. 479) profecti esse dicuntur. Iani vero illi per omnes urbis regiones dispersi ab Ovidio (Fast. I, 257) opponuntur iano uni i. e. aediculae Iani, ubi sacratus stabat Ianus deus vel statua Iani:

Cum tot sint iani cur stas sacratus in uno,
hic ubi iuncta foris templa duobus habes?

Profanos igitur ianos a sacrato hic discernit poeta. At nihil tamen certi ad originem propriamve vim vocis appellatae statuendam scriptores illi antiqui praebuerunt, nam nomen appellativum iani et nomen dei plerumque confuderunt idemque esse putarunt. Ac quamquam plane est manifestum illos sola comparatione vocum, quae sunt *ianua* et *ianus*, quarumque nota erat vis, nominis dei, quod per se iis prorsus obscurum fuit, originem et vim statuisse, dei tamen nomen prius existimarunt, ut ex dictis Ciceronis et de Iano et de Venere (N. D. II § 67 et 69) elucet. Dispari vero aetate esse voces *Iani* et *iani* Zander (Rel. carm. Sal. p. 41) demonstrare conatus, rem ad ipsas litteras latinas retulit, sed vereor, ne hac via res diiudicari possit, nam etiamsi non occurrat vox illa iani apud antiquiores scriptores quam Ciceronem et Livium, iam per se apparet vocem esse antiquiorem notionemque ipsam non ab iis esse inventam. Livius enim ianum nominans (II, 49) de re et eventu satis antiquo (anni 479 a. Chr. n.) mentionem facit. Praeterea cum *ianitos* in carmine Saliari fuerit (Varro l. l. VII, 27), iani vocem illis temporibus antiquissimis in usu fuisse satis apparet, cum eadem debeat esse inter ianum et ianitorem ratio atque inter portum et portitorem. — Quaestio vero proposita ratione sola mythologiae comparativae, quam vocant, solvi posse videtur.

Ac cum mythologia neminem deorum superiorum imaginem esse rerum vilium, nedum rerum humana manu factarum doceat, sed omnes fere caeli vel caelestium rerum speciem prae se ferre, iam ab initio suspicari licet eiusmodi etiam fuisse naturam Iani dei. His convenienter originationem Iani nominis iam antiqui scriptores vere, opinor, augurati sunt. Nam quoniam apud Macrobium (Saturn. I, 7, 8) legimus: *pronuntiarit Nigidius Apollinem Ianum esse Dianamque Ianam*, sumenda est pro Iano forma vetustior vel plenior *Dianus*, ut haec sit ratio: *Ianus: Dianus = Iana: Diana.* Quod si ita est, nomen Iani ad eandem radicem, late patentem *(dir)*, quae in nominibus complurium deo-

rum superiorum inest, convenientissime referre licet. Nam vulgo huc referunt nomina Iovis (> Diovis > *Dieu-és), Iunonis *), Dianae (cfr *Διώνη* > *Διϝ-ώνη*). Quae quidem radix in vocabulis, quae caelum significant, inest: *dyâus*, gr. *εὐδία* caelum serenum, lat. dies **), dium l. divum (sub dio l. divo), gr. *Ζεύς, Διός*, immo vero *εὐδιᾱνος* nobis occurrit (Pind. Olymp. IV, 146), cuius formae ad nominativum *εὐδίᾱ* relatae fingendi ratio cum *Diano* Latinorum plane convenit. Ac si cum Corsseno (Beitr. z. It. Sprachk. p. 357) femininam desideres formam, ad quam applicari possit *Dianus*, dia > *divā (di-a Camilla, dea Dia) commemoranda est, nam stirpibus in ā exeuntibus suffixum illud *-anus* primitus est tribuendum: exempla sunto *silvanus* (silva), *arcanus* (arca), *Romanus* (Roma), sed postea etiam aliis se applicuit stirpibus idem suffixum, ut ostendunt formae quales sunt urbānus, humānus, oppidānus cet. (cfr Brugm. Grundr. II p. 137 et Henry, gramm. comp. § 158). Ad eandem radicem (*div*) ac proxime ad substantivum *dia* (caelum) referendum est adiectivum *Dialis*, cuius conformatio et significatio nonnihil cum *Diano* consentit. Ianus igitur (> *Diuānus > *Dianus) mihi primitus idem sibi velle videtur atque *ad caelum pertinens* vel *caelestis.*

Dupplex illa forma (Diana et Iana), si sonorum vicissitudinem respicis, non solum certo illo exemplo *Iovis* > *Diovis* probatur, sed etiam alio inscriptionum exemplo firmatur, scilicet Iuturna, quae etiam Diuturna nominatur (vid. Corss. Musspr. [2] I p. 365 — Beitr. z. It. Sprachk. p. 357 — Stolz, lat. gram. [2] p. 302). Quae igitur vox ad radicem appellatam (*diu*) etiam pertinere videtur. Dea autem illa, Diuturna vel Iuturna, uxor Iani perhibetur fuisse — quod cognationem nominum mihi etiam confirmare videtur.

Quod Roscher (Lex. myth. II p. 48) dixit vicissitudinem Ianae et Dianae male esse comprobatam, non intelligo, nescio enim cur auctoritas Macrobi hac quidem in re in suspicionem sit vocanda apertis verbis Dianam esse Ianam af-

*) Ita etiam statuerunt Bréal et Bailly, Dict. etym. lat. s. v. *deus* p. 62, Iidem formam *Iuno* ad **Diouna* suffixo *on* auctam referunt. Quod si ita est, cognata sunt nomina *Iovis* et *Iunonis*, quae Danielsson (Gramm. u. etym. Stud. I p. 49) ad radicem *aiu* relata vult. Attamen non minor restat difficultas formas interpretandi quam si *div* radicem statuamus. Praeterea notio universalis ('der, die Ewige, Junge') vix convenit in homines ultimae memoriae. Nam haec non est species deorum antiquissimorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi.

**) Dies *caelum* etiam significat, ex gr. Lucan. Phars. VII, 189: *sub quocumque die*, — Val. Flacc. Argon. I, 845: *totumque per annum durat aprica dies*, ut e contrario sanscrita vox, quae est *dyâus, diem* etiam significat.

firmantis (Saturn. I, 9, 8). Comprobatur vero altera forma etiam loco quodam Varronis (r. r. I, 37, 3): *Numquam rure — audisti Ianam (codd. Lanam) et crescentem et contra senescentem?* Hic Ianam esse lunam manifestum est etiam glossemate codicum *lunam* neglecto. Dianam vero antiquos aliquando pro luna habuisse testes sunt Varro (l. l, V, 68) et Cicero (N. D. II § 68): *Dianam autem et Lunam eandem esse putant.* Sed etiam a Tertulliano (ad nat. II, 15) commemoratur Iana (codd. Lana) dea, ubi "arquis diva" esse dicitur atque simul cum Iano patre, "arcuum deo" (secundum cod. γ), nominatur. Quo igitur loco aliquatenus mythologica cernitur cognatio Iani et Ianae, quam Roscher (l. c.) desiderat.

Praeterea est commemorandum nos de prima vi deae Dianae vel Ianae, nam hanc quoque formam appellatis testimoniis satis probatam iudico, nihil fere cognoscere, posterioris vero aetatis homines eam cum luna confudisse arbitror. Nam mihi paene persuasum est et Diam et Dianam vel Ianam et Diuturnam vel Iuturnam varia tantummodo esse nomina unius eiusdemque deae summae et quidem caelestis. Ac si temporum progressu vi prima oblivione obruta dea illa pro luna (Cic. N. D. II § 68) habita est, idem fere Iano accidit, qui pro sole habebatur philosophorum secta quadam impellente. Nam deorum quoque vim et imperium minui posse et angustioribus terminis circumscribi, mythologia, quam comparativam vocant, exemplis satis multis docet *).

Si his ita constitutis coniunctio manifesta (Roscher l. c.) — si modo est manifesta — quae inter *Ianum* et *ianum* vel *ianuam* intercedat, conscinditur, minime est dolendum, sed ob maiestatem dei summi auctam vel maxime gaudendum, nam quod Arnobius (adv. Nat. III, 29) de iis, dicit qui tempus deum esse putarent — id multo verius de iis dici potest, qui Ianum ab iano vel ob custodiam ianuarum esse nominatum putent: *quis est enim tam demens, qui ianuam esse dicat deum?*

Atque ut apud Graecos *Ἥρα* non est antiquissima omnium dea et prima *Διὸσ* uxor sed *Διώνη* **), quam *Ἥρα*, dea Aeolum, e sede summa removit, ita etiam apud Romanos unam eandemque deam semper sedem summam summumque

---

*) Cfr librum meum: Indog. h. g. p. 95 sq.

**) Sic enim res in Diomedia (Il V) narratur – vid. H. E. Meyer, Indog. Myth. I, p. 131 [1]), 193; II, 81, 271. Ac revera *Διώνη* et *Ζεὺς* in templo illo dodonaeo antiquissimo simul colebantur secundum schol. hom ad γ (cfr Mayer, Gig. u. Tit. p. 83) et Strab. VII, c. 7 § 12: *ὕστερον δ'ἀπεδείχθησαν τρεῖσ γραῖαι, ἐπειδὴ καὶ σύνναοσ τῷ Διὶ προσαπεδείχθη καὶ ἡ Διώνη.*

honorem non retinuisse valde est credibile, sed, ut est condicio rerum humanarum, altera victa alteri cessit. Ut igitur *Ἥρα* sic etiam Iuno sedem et honorem summae deae sibi serius arrogavisse videtur. Ac si natura magis caelestis *) quam terrestris est Iunoni, ut quae uxor sit caeli vel Iovis, de deabus, quarum nomina eadem sunt origine quaeque eundem sustinuerunt honorem, idem statuere a ratione non puto alienum. Antiquiores tamen, ut ostendunt ipsae fabulae, sunt habendae dea *Dia* et *Diana* vel *Iana* et *Diuturna* vel *Iuturna*. Quid? quod Iuno ipsa et *Iuno Lucina* et *Diana omnivaga* (Cic. N. D. II, 68) dicitur. Ut nominis sic etiam naturae coniunctio Iunonis cum Diana hoc loco Ciceronis intelligitur.

Ut vero utramque formam et Ianam et Dianam latinis in litteris invenimus, ita etiam praeter Ianum Dianus scribitur, nam in inscriptione Aquileiensi (C. I. L. V, 783. — Corssen Beitr. z. It. Sprachk. p. 356) legimus: *Iovi Diano* **) *C. Herennius Candidus v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).* Ubi *Iovi* pro caelo (vel caeli deo) habeo, nam caelum ipsum Romani etiam Iovem appellabant, ut ostendunt versus aliquot Enni ***) (Cic. N. D. II c. 2), Lucani †) (Phars. IX, 580), Horati ††) (carm. I, 1, 25). Fortasse eodem sensu *Ζεὺσ* accipi potest, in hymno quinto Procli, ubi Ianus *Ζεὺς ἄφθιτος* et *ὕπατος* appellatur: *χαῖρ' Ἰανε πρόπατορ, Ζεῦ ἄφθιτε χαῖρ' ὕπατε Ζεῦ.* Praeterea aliquot locis homericis *Ζεὺς* idem atque caelum vel aerem significat, e. gr. Il. XIX, 357:

— — — — *ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται* —

Cfr *M.* 25 et *ξ* 457, ubi *Ζεὺς* prope idem atque caelum valet. Sententiam nostram etiam confirmat attributum illud *Ἀστέριοσ,* quo in Creta *Ζεὺς* appellatus est (cfr Mayer, Gig. u. Tit. p. 80).

---

*) Aeriam enim eam Stoici putabant teste Cicerone (N. D. II, § 66): Aer autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur; quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitado est aetheris et cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem eum Iunonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.

**) *Diano* Jordan (Preller, Myth. [3] p. 167 [2]) pro epitheto Iovis habet, sed ob aetatem deorum plane contrarie se rem habere putamus, cfr etiam Mayer, Gig. u. Tit. p. 82.

***) Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem.

†) Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

††) — — — — — manet sub Iove frigido cet. (cfr. librum meum: Indog. h. g. p. 73).

Hactenus praecipue de nomine Iani disputavimus, sequitur nunc, ut opiniones de dei natura, quae ullius sint momenti, vel antiquitatis vel recentioris aetatis, commemoremus. Cicero (N. D. II, 27) de origine nominis mentionem faciens nihil de dei natura statuit. Macrobius vero (Sat. I, 9, 11) eandem originem commemorans Ianum ab *eundo* dictum ad motum mundi refert, "quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur". — Sententiâ vero Verri Flacci (Fest. p. 52) *Chaos* Ianus erat (cfr Ovid. Fast. I, 103 sqq.) — Teste Arnobio (adv. nat. III, 29) Ianum "quidam *mundum*, *annum* alii, *solem* esse prodidere nonnulli". Quo in numero est Lutatius, qui (Ioan. Lyd. de men. IV, 1) Ianum esse solem dixit: *ὅγε μὴν Λουτάτιος Ἥλιον αὐτὸν παρὰ τὸ ἀφ'ἑκατέρας πύλης ἄρχειν, ἀνατολῆς ἴσως καὶ δύσεως* (cfr Macrob. Sat. I, 9, 9). Nigidius Figulus teste Macrobio (Sat. I, 9, 8) Apollinem (i. e. Solis deum) Ianum esse vult. Messalla (Lyd. de mens. IV, 1)*) Ianum deum omnis initi et eundem *Αἰῶνα* esse putat, Plinius vero (n. h. 34, 37) temporis et aevi deum. — Varro "vir doctissimus et acutissimus" (Aug. c. d. VII, 28) Ianum *mundum* esse dixit (Aug. c. d. VII, 7); atque Macrobius (Sat. I, 9, 11) *mundum* et *caelum* idem significare putat, quod tamen non congruit divissioni Varronis (Aug. c. d. VII, 6): *"adiungit mundum dividi in duas partes, caelum et terram: et caelum bifariam in aethera et aera."* Augustinus quoque (c. d. VII, 28) aperte discernit caelum et mundum, adiciens: *"quem (Ianum) alii caelum, alii dixerunt esse mundum"*. Alii denique eum esse *deum aeris* statuerunt, ut Servius (Aen. VII, 610: *alii Ianum aërem credunt)* et Gauius Bassus (Lyd. IV, 2): *ὁ δὲ Γαῖοσ Βάσσοσ ἐν τῶ περὶ θεῶν δαίμονα αὐτὸν εἶναι νομίζει τεταγμένον ἐπὶ τοῦ ἀέρος καὶ δἰ αὐτοῦ τὰς τῶν ἀνθρώπων εὐχὰς ἀναφέρεσθαι τοῖς κρείττοσι.*

Coniectiones autem mythologorum recentiorum ultra has antiquorum sententias opinionesque de Iani dei natura non nimis sunt progressae. Nam Buttmannus quidem (Mythol. II p. 72) et Preller (Röm. Myth.[3] I p. 168 sqq.) etiamnunc Ianum solis esse deum putarunt idemque statuit Scaliger (vid. Corssen, Beitr. z. It. Sprachk. p. 351) Iano cum Iana (= Luna) in comparationem vocato. — Deecke autem (Etr. Forsch. II p. 125 sqq.) Ianum esse deum caeli ratus, quamquam etymologiam illam, qua ad radicem *div* refertur, spernit, Iani nomen idem atque appellativum nomen iani ("Schweibbogen, Bogenthor, gewölbter Durchgang") esse arbitratur. Ianus igitur auctore Deeckio caelum ut

---

*) *ὁ Μεσσαλᾶσ τοῦτον εἶναι τὸν αἰῶνα νομίζει.*

arcum vel fornicem significat, quare nomen caeli erat, non solis. — Corssen vero alia interpretandi ratione usus (Beitr. zur It. Sprachk. p. 352) Ianum (> *Dianum) deum caeli candidi esse existimat. — Roscher olim (Hermes d. Windg. p. 119 sq.) Ianum ad radicem *div* referens eum deum esse ventorum sibi finxit, qui quidem portas caeli custodire cogitaretur eumque cum græcorum deo, qui est Ἑρμῆς, quem antea sibi persuaserat deum esse ventorum, contulit. Sententiam tamen suam de vi et natura Iani postea mutasse videtur, nam (Lex. Myth. II p. 47) physicam rationem nullam Iano desiderat, sed omnes dei illius functiones inde explicari posse arbitratur, quod Ianus genius portarum *) et omnis initi numen tutelare a principio fuerit. Honos demum Tertulliani miro commento additus esse videtur, qui Ianum a ianua duxit (Cor. 13, Idol. 15) — quam derivationem ut inanem supra omisi —, nam a sententia Tertulliani non longe distat Roscheri, qui (l. c. p. 29) ianum iannamve quasi divina persona indutum simpliciter inducit. Qui quidem Ianum cum Forculo et Limentino frustra comparavit. Hi vero vix dei sunt nominandi sed prope allegoricae **) et fictae personae, in religione Romanorum ad nullum fere honoris fastigium evecti.

Omnis vero illa opinio etymologiae populari a principio debetur nullaque cognatione cum ianua Ianus iunctus fuisse mihi videtur. Nam aeque a ratione aliena est opionio ista ac si quis germanorum deum tonitrualem (Thor) ad vocem, quae est *Thor* (porta, ianua), referret nomenque dei ab appellativo nomine ductum putaret, quod tamen, quantum scio, nemini in mentem venit, etiamsi Thor etiam portarum esset deus (cfr Mannhardt, Germ. Mythen p. 236 sq. et Rosch. Lex. Myth. II p. 49). Ac Germani quidem deum, qui est Thor, custodem portarum vel domuum facile ideo fecerunt, ne fulminis ictu deperderet domos cultorum suorum, sed ut fulmine retento ipsis parceret. Gratiam enim benevolentiamque dei potentissimi et valde metuendi sibi conciliare ita putabant, si eum tutorem domuum colerent, quamquam valde est credibile etymologiam popularem ad hanc vim utriusque dei constituendam vel plurimum valuisse. Unde intelligere possumus, quae priora primo aspectu videantur, ea saepe esse

*) Ita fere Mommsen (R. G. [8] I p. 164 ann.) etiam statuit.

**) Pro foribus et limine allegorice sunt dicti, ut omnes fere res a Romanis allegorica ratione in deorum numero reponi potuerunt, sicut Virtus, Honos, Ops, Salus, Concordia, Libertas, Victoria, "*quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset ipsa res deorum nomen obtinuit*" (Cic. N. D. II § 61 cfr III § 47).

posteriora, ut quae posteriora videantur, priora — id quod mythologis imprimis est memoria tenendum. Nam propterea quod potentissimi dei et *Thor* et *Ianus* *) erant, ideo tutelam eorum sibi suisque parare homines studuerunt nominum tamen vi in partibus dividendis (Liv. 8, 25) non prorsus neglecta.

Humilitatem Forculi et Limentini, quae numina ad fores et limina pertinent, comparatam Roscher (l. c. p. 30) satis simpliciter, eo excusat, quod limen et fores partes tantummodo iani vel ianuae sint. Quam ob rem ianum, ut qui notione sit latius patens, deum ampliorem et honoratiorem, imaginis scilicet similem, procreasse putat. Quid vero hoc incredibilius? — Pro certo enim habeo, si eiusmodi fuisset origo Iani, humilitatem eandem semper permansuram fuisse. Praeterea non est incredibile antiquissimis illis temporibus, quibus exstitit notio prima Iani dei, ianuas, si quae essent, et foribus et liminibus caruisse. Nam neque urbes habebant neque aedificia sibi etiamnunc aedificabant prisci illi homines vagantes et pascua peragrantes cum gregibus **). Deos tamen iam tunc illos coluisse e carminibus vedicis comparatis concludi licet (cfr librum meum: Indogerm. h. g. p. 21). Casis simplicissimis pro domibus sine dubio utebantur (cfr Charles Ploix, Nature des dieux p. 110 sq.) quarum foramina et ianuae et fenestrae erant.

Sed alia verborum, quae sunt *ianus* et *ianua*, explicatio ad rem diiudicandam plus valebit. Nam fuerunt etiam, qui nomina illa ad radicem *div* referrent. Ita quidem Bréal et Bailly ***) (Diction. etym. lat. s. v. *ianua*), quibus assentitur Charles Ploix (Nat. des dieux p. 111). Quod si ita est, luce clarius est Ianum appellativi nominis interventu in summi dei honorem ascendisse ne cogitari quidem posse. Nam ianus vel ianua locum solum vel foramen (cfr got. *augadauro* i. e. ianua oculorum vel lucis), quo intret lux vel dies (dagsljuset), tum potest significare. Ianus autem > *Dianus, cuius notio primaria *candens* vel *caelestis* fuit, quasi fons ipsius lucis est habendus, quare prior necessario est. Praeterea caelum quoque *dies* a principio significavit, ut iam supra diximus. Sed ut rationem illorum inanem, qui Ianum ianuas repraesentare censuerint, re-

*) Cfr Caton. de re rust., 134: *Iane pater, te precor, uti sis volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiaeque meae.*

**) Cfr Hertzberg, Geschichte von Hellas und Rom II p. 7.

***) Hi apud francogallos *jour* etiam *ouverture* significare ad rem probandam commemorant. Eadem fere sententia est Jordan, qui (Top. II p. 214) *ianum* et *ianuam* 'Lichtung', 'lichte Öffnung', 'offenes Thor' a principio significare putat.

linquamus, ad sententiam eorum, qui Ianum solem esse credant, percensendam transgrediamur.

Ut supra diximus, iam antiqui scriptores nonnulli Ianum pro sole habuerunt, ut Nigidius Figulus teste Macrobio (Saturn. I, 9, 8 — I, 9, 5 et 6; I, 17, 42 et 64) et Lutatius (Ioann. Lyd. IV, 2). Inter scriptores vero recentiores, qui eandem amplexi sunt sententiam, praecipue nominandi sunt Buttmann (Mythol. II, 72), Schwegler (R. G. I, 218 sqq.), Preller (Röm. Myth.[3] I p. 167 sqq.). At valde tamen de hac doctrina est dubitandum, quae quidem magis commentis philosophorum quam opinionibus eorum, qui fabulas finxerint, niti videtur. Praeterea Sol Sabinus perhibetur fuisse dēus, cui in cultu inferior locus semper fuit (cfr Seemann (Schéele) Mytol. p. 77 sq.) quique ad extremum Apolline Graecorum plane remotus est (Rosch. Lex. Myth. II, p. 44). Magis enim vulgaris res, ut ita dicam, sol erat, quam quem prisci illi homines in altius honoris fastigium extollerent, nedum in honorem dei summi, praesertim cum etiam perexigua res esse illis sine dubio visus sit, quem oculis diligentius intueri ne licuit quidem. Epithetis vero, quibus summi dei ornari solent, sol numquam neque a Romanis neque ab aliis gentibus indogermanicis celebratur, *Genius* tantummodo appellatur in inscriptionibus latinis (Willmanns 2247), quae tamen ad posteriorem aetatem pertinent, qua solis cultus antea paene neglectus Persarum deo solis, qui est Mithra, assumpto est constitutus. Immo vero studio Solis impulsi eo processerunt mythologi vel philosophi ut, ne deo solis prorsus carere viderentur Romani, Ianum solem esse statuerent (Rosch. Lex. Myth. II p. 44). Sed ne apud graecos quidem Apollo ab initio solis erat deus, ut e vetustissimis descriptionibus intelligitur, quo in numero est descriptio illa, quae in primo Iliadis libro v. 43 sqq. legitur:

— — — — *Φοῖβοσ Ἀπόλλων*
βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων χωόμενοσ κῆρ,
τοξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηρεφέα τε φαρέτρην,
ἔκλαγξαν δ' ἄρ' οἰστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
αὐτοῦ κινηθέντος. — —

Nam hic nulla ex parte cernitur posterior ille deus lucis, animadvertit Meyer (Indog. Mythen II p. 14), sed potius inducitur ferus et turbulentus ille *Ἄπλουν,* qui *Ὑλάτας* quoque a Thessalis appellari solebat.

Certe in hymnis vedicis sol semel anima mundi *) (I, 115, 1) appellatur. Sed interdum pro re plane inanima valet, nam in hymn. V, 63, 7 *currus lucidus* sine ambagibus sol vocatur. Persaepe vero sol oculus esse dicitur deorum, et maxime quidem oculus Varuni et Mithri (vid. Bergaigne, Rel. ved. t. I p. 7). — Praeterea oculum dei solem esse omnes gentes, quae ubique sunt, crediderunt: haec vulgi atque imperitorum fuit opinio, quam eandem apud veteres Romanos viguisse Macrobius (Sat. I, 21, 12) docet: — *Solem Iovis oculum appellat antiquitas.* Sed oculus est pars dei, non deus totus. Errat igitur Macrobius — doctrina platonica imbutus — Osirim et solem eundem esse (l. c.) affirmans: *Hunc Osirin Aegyptii ut solem esse adserant, quotiens hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirin monstrant, significantes hunc deum Solem esse regalique potestate sublimem cuncta despicere.* Atque ut Iuppiter, etiamsi sol oculus eius sit, ipse non est Sol, ita Osiris quoque Aegyptiorum plane idem atque oculus suus non est (nam litteras hieroglyphicas non solum res totas sed etiam partes rerum exprimere posse notissimum est), sed ut Iuppiter caelum sine dubio significat.

Neque honoribus adeo magnis sol in hymnis hebraeorum celebratur, nam casa sola ei in caelis est, unde ut sponsus procedens — exsultat ut *heros* (ps. 19, 5, 6).

His consideratis et deliberatis ab hominibus antiquissimorum temporum haec magnificentia Solis dei, quam mythologi recentiores augere et amplificare studuerunt, profecta esse nullo modo potest. Est sane aetatis multo recentioris, nam philosophi stoici et platonici primi hanc venditarunt doctrinam.

Stoici vel physici, nam Cicero philosophiae rationem eorum physicam appellat rationem, deos fere omnes res naturales vel qualitates symbolice indicare putabant (cfr Cic. N. D. II § 63 sqq. — Sen. qu. nat. II, 45. — Boissier, Rel. rom. II p. 126 sqq.). Hi quidem solem et Apollinem confuderunt ut Dianam et Lunam, nam apud Ciceronem (N. D. § 68) legimus: *Iam Apollinis nomen est graecum, quem Solem esse volunt. Dianam autem et lunam eandem esse putant.*

---

*) Eodem modo a Cicerone (Somn. Scip. IV) sol mens mundi et temperatio dicitur, ut subtilitates physicae rationis agnoscas (cfr Plat. resp. VII, 516 b — Sen Qu. nat. II, 45) — nam paulo ante simplicius dicitur sol *dux et princeps et moderator luminum reliquorum.*

Platonici vero philosophi, qui summo religionum externarum studio incensi erant (cfr Boissier, Rel. rom. II p. 137 sqq.), deos Graecorum et Romanorum externis illis deis comparatis illustrare et interpretari sunt conati. Nec mirum igitur solem primas quasi partes in illorum interpretationibus (cfr Welcker, Gr. Götterlehre I p. 401) sibi vindicasse, praesertim cum in libris Zoroastris summi dei (et Ahura Mazda et Mithra) saepe cum sole comparentur *). Sed ratio Zoroastris, qui philosophus erat ipse et reformator vetustioris religionis naturalis, est ratio plane philosophica, quae ab opinionibus vulgi — et quidem ab opinionibus antiquissimorum hominum haud paullum differt. Nec dispar erat ratio reliquarum Orientis religionum, quae suos quaeque reformatores iam dudum habuerant.

Ad sententiam nostram comprobandam nihil non valet quod ab Homero *ἠέλιος* numquam dei laudibus celebratur (Welcker, Gr. Götterl. I p. 413). Ac re vera iam Aristophanes (Pac. 404 sqq.) de nascente cultu solis divino, qui barbarorum esse dicitur (*τούτοισι δὲ οἱ βάρβαροι θύουσι* l. c. 410), dehortatur. Philosophi vero graeci, nomino Platonem, Pythagoram, Socratem soli divinum honorem iam attribuerunt (Welcker, Gr. Götterl. I p. 412). In litteris igitur vetustissimis Indorum, Graecorum, Latinorum nulla aut pauca saltem Solis cultus vestigia inveniuntur. Quae cum ita sint, valde incredibile mihi videtur antiquissimum Romanorum deum fuisse Solem.

Teste Augustino (c. d. VII, 7) Varro melius sane et, ut mihi quidem videtur, a vero non prorsus abhorrens, censet Ianum esse *mundum* **), quo tamen non caelum significatum vult, ut apparet ex capite 6 comparato cum capite 28 eiusdem libri, ubi Iuppiter caelum esse ab eodem dicitur. Certe tamen testatur Macrobius (Sat. I, 9, 11) mundum et caelum idem posse valere et recte fortasse, quippe cum caelum omnia fere amplecti videatur. Ioannes autem Lydus (de mens. IV, 2) narrat Varrone auctore usus Ianum a Tuscis appellari caelum (*οὐρανόν*): *ὁ δὲ Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων*

---

*) Apud Romanos quoque aetate posteriori tantum externarum gentium religiones valebant, ut Iuppiter quoque Solis cognomine appellaretur, nam *Iuppiter Optimus Maximus Sol* in inscript. 97 Willmanns est.

**) Quod iudicium ter repetitur: *Janus igitur — — mundus est. Numquid ergo ad mundum, qui Ianus est, initia rerum pertinent — — ? — Iano, id est mundo, solam initiorum tribuerunt potestatem.*

φησιν, αὐτὸν παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν *) *λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως.* Nomen igitur ipsum Iani idem atque caelum significare hoc Varronis testimonio aliquid etiam firmatur.

Ac re vera caelum rerum omnium ad deum summum significandum aptissimum est, multoque soli est praeferendus "*ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus, qui idem aether* **) *vocatur*" (Cic. N. D. II § 101), qui idem fere est atque "extimus (caelestis orbis), qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros" (Somn. Scip. XVII (IV). — Nec mirum hominibus antiquissimis admirabilem caeli ornatum visum esse, *quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius*" (N. D. II § 104). "*Admirabilis etiam visa est caeli constantia, quum oculis assidue videmus sine ulla mutatione aut varietate*". Caelum igitur ipsum et hunc tantum caeli ornatum pro deo facile habebant prisci illi homines, qui remota subtilitate philosophandi oculis contemplarentur pulchritudinem rerum caelestium. Tali condicioni aptissima et dignissima videntur haec Euripidis verba, ex graeco in latinum (a Cicerone) conversa (N. D. II § 65):

Vidés sublime fúsum, immoderatum aéthera,
qui ténero terram círcumiectu ampléctitur?
Hunc súmmum habeto dívom ***), — —

His congruenter *Οὐρανὸς* apud Graecos primus totum rexisse mundum dicitur. Ab his enim verbis exorditur Bibliotheca Apollodori: *Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστησε κόσμου.* Quin etiam in hymnis Hebraeorum eadem caelorum vis celebratur (ps. 19): "Coeli enarrant gloriam dei et opera manuum eius annunciat firmamentum — — — Sermo et verba caelorum non eiusmodi sunt quae non audiantur. In omnem terram exit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum".

Ipsa igitur nomina deorum superorum et litterarum monumenta complurium gentium caelum docent antiquissimis quidem temporibus pro deo esse habitum.

---

*) Nomen tuscum *Ani* fuisse demonstravit Deecke (Etr. Forsch. IV p. 25 sqq.), ut *Uni* est Iuno.

**) In cosmogonicis scriptis Tuscorum aether i. e. caelum candens primordium esse, unde mare et terra exstiterint, perhibetur (Preller, R. M.[3] I p. 172).

***) Hi versus fabulae deperditae apud Stob., Ecl. I, 3, 2 leguntur: *ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τονδ' ἄπειρον αἰθέρα καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς — — τόνδ' ἡγοῦ θεόν.*

— Ianum caelum repraesentasse forma quoque templi eius indicat, quod arcus vel fornix erat — quae fornix imago caeli mihi videtur fuisse, ut pro caelo et germanice *Himmelsgewölbe* et suethice *himlahvalf* dicitur. Recte igitur, opinor, Deecke (Etr. Forsch. II p. 125 sq.) Ianum esse *deum caeli* statuit. Falso tamen putat Ianum idem atque transitum esse et etiam per se a principio fornicem vel arcum significasse, nam fornix vel arcus est imago sola caeli *), non ipsa interpretatio nominis Iani.

Ceterum a ratione nostra alienum non est, quod a Varrone (l. l. V, 57) principes dei romanorum Caelum et Terra nominantur. Paulo infra (§ 58) ita pergit idem: *Terra enim et Caelum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei Magni*, qui iidem sunt atque Samothracum *θεοὶ δυνατοί*. qui in augurum libris *deivei potes* scribuntur — nam sic concinnitatis causa lego, ut inter se respondeant *θεοὶ δυνατοί* et *deivei potes*, praesertim cum codices *dei qui* (sec. Müll.) habeant — quod a forma *deivei* magnopere admodum non abhorret.

Ut Varro Caelum et Terram principes esse deos dixit, ita Caelo, ut animae, principatum detulit (l. c. § 59). Cum vero idem (l. l. V, 34) Ianum principem **) deum nominat, iam sequitur, ut Ianus, si deus sit princeps, idem atque Caelum sit.

Nemo Latinorum poeta indagationem initiorum et tamquam seminum, unde sint omnia orta, generata, concreta carminibus illustrare aut deorum propagines ordine enarrare conatus est. Attamen et ex sacris caerimoniisque et ex dictis scriptorum veterum raris concludere licet, Ianum omnium deorum fuisse primum. Quare omnium rerum auctor et procreator est habitus, quem Septimius Serenus ita cecinit: "o cate rerum sator, o principium deorum" (cfr Prell. R. M. [3] I p. 171 ann. 2 et Coquaei animadv. ad Aug. c. d. VII c. 3). Verus etiam italicus erat deus, "nam tibi par nullum Graecia numen habet" profitetur Ovidius (Fast. I, 90), atque iam antiquissimis temporibus huius dei cultus in Italia longe lateque erat diffusus (Prell. R. M. [3] I p. 166), Romaeque sacra eius a Numa sollemniter instituta erant (Liv. I, 19). Falso igitur, opinor, Deecke (Etr. Forsch. II p. 125 sq.) Ianum fuisse deum Tuscorum proprium et e Tuscis a Romanis

*) Cfr Preller, Röm. Myth. [3] I. p. 168.

**) Dehinc quintus *Quintilis* et sic deinceps usque ad *Decembrem* a numero. Ad hos qui additi, prior a principe deo *Ianuarius* appellatus.

susceptum *) censuit — quod saltem idem fere est atque statuere Romanos a principio sine deis et religione fuisse. Quam ob rem et Jordan (Prell. Röm. Myth. [3] I p. 166 ann. 2) et Mommsen (Münzw. 185) summo iure hanc opinionem graviter impugnaverunt et reiecerunt, hic etiam affirmans Ianum certo esse italicum deum et, quod diiudicari possit, etiam romanum.

Praeterea verisimile admodum non est Romanos deo peregrino deos domesticos omnes postposuisse, nam cum Cicero (N. D. II c. 27) eos principem in sacrificando Ianum esse voluisse narrat, a maioribus ultimae memoriae traditum morem, cuius causam indicare studet, sine dubio commemorat, male tamen antiquum interpretatus morem, ut si *in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema.*

Simplicissima vero huius moris haec causa fuisse videtur: quia Ianus a primo deus fuerat princeps, ideo, ne summum deum umquam negligere viderentur, ei primo sacrificare, antiquissimum morem identidem servantes, perseverabant. Mala enim interpretatione sola Ianum initiorum deum esse factum existimo. Praeterea alii **) aliter hanc consuetudinem, cuius Martialis quoque mentionem facit (X, 28): *quem primum vota precesque vocant*, sunt interpretati.

Ovidius enim (Fast. I, 171 sqq.) prorsus aliam causam perhibet:

— — cur quamvis aliorum numina placem,
Iane, tibi primum tura merumque fero?
ut possis aditum per me, qui limina servo,
ad quoscumque voles, inquit, habere deos.

Hic igitur idem mos eo declaratur, quod per Ianum quasi aditus ceteris praebetur deis. Cum Ovidio consentit Arnobius, qui (adv. nat. III, 29) scribit: *quem* (Ianum) *in cunctis anteponitis precibus et viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Neque aliter rem explicat Macrobius (Sat. I, 9, 9), apud quem haec legimus: *invocarique primum* (Ianum volunt), *cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat.*

---

*) Sed iam ab initio Romani magnopere aversati sunt, ne peregrina susciperent religionis sacra, ut Livius (I, 7, 15) de sacris Herculis commemorat: *Haec tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit*, ac vere de religione Romanorum animadvertit Mommsen (Röm. Gesch. [6] p. 178: "im Grossen und Ganzen ist die römische Religion eine organische Schöpfung des Volkes".

**) Vid. Fest. p. 52 s. v. *chaos, cui primo supplicabant velut parenti.*

Sed valde obscurus iam antiquis fuit principatus Iani — ut par est — quippe cum Iuppiter princeps illis ipsis temporibus haberetur, diversitatem temporum non considerantibus. Difficultates igitur haud exiguas interpretibus et antiquioris et recentioris aetatis praebuit quaestio illa, quid inter potestatem Iani et Iovis interesset, nam horum deorum vim et potestatem secernere plane non potuerunt antiqui, ut ex Augustini c. d. VII c. 9 et 10 patet. Neque eo internoscuntur Ianus et Iuppiter, quod penes Ianum primordiorum potestas, penes Iovem causarum esse dicitur (l. c., c. 10), neque inest quid solidi aut certi in responso illo Varronis acutissimi et doctissimi viri (Aug. c. d. VII, 9): *penes Ianum sunt prima, penes Iovem summa* — artificiosa enim et vilis est interpretatio ista.

Ac re vera universae rei summa in eo vertitur, quod de dignitate Iovis, inferiori aetate dei tonantis (vid. Deecke, Etr. Forsch. II p. 126), ne quidquam detraheretur, timuerunt. Cuius dei honoris cura et sollicitudine affecti et a recta via abducti, vera de Iano statuere neque voluerunt neque potuerunt. Nam ipse Augustinus "deinde, inquit, quaero, quem iam locum inter deos huic tribuant Iovi, si Ianus est mundus" (l. c. VII, 9).

Res vero facile diiudicari potest, si consideremus historica, ut aiunt, aetate principatum inter deos obtinuisse Iovem, proethnica vero aetate Ianum summum habuisse imperium. Quid, quod Ianus ipse inferiorem esse Iovem pronuntiat hoc versu Ovidiano (Fast. I, 126):

— *it, redit officio Iuppiter ipse meo.*

Ex antiquissima aetate repetendum esse Ianum cultumque eius Iuvenalis quoque docet (Sat. VI, 393), cum Ianus *antiquissimus* dicitur deus. Neque auctoritas eius ideo plane nulla est, quod scriptor est posterioris aetatis, nam nihil omnino impedit, quominus cognitionem antiquitatis a bonis auctoribus acceptam habuerit. Ac pro certo affirmari potest Iuvenalem non magis primum Ianum *antiquissimum* deum appellasse quam *patrem*, quo cognomine eodem loco *) utitur, sed antiquiores sequi scriptores. Praeterea ad nostram quoque quaestionem aliquid valet, quod attestatur Esaias Tegnér (in libro, qui inscribitur Ninives och Babylons Kilskrifter p. 126), quare verba suecana in latina converto: "quo magis, inquit, annis

---

*) *dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime divum,*
respondes his, Iane pater? magna otia caeli;

Nonne *Iane* et *caeli* hic idem declarant?

progreditur genus hominum, eo melius primae suae aetatis tempora cognoscere videtur. Nam remotissimam suam novissima quaeque aetas denudat vetustatem". Certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime, ut est apud Ciceronem (Acad. post. I c. 4).

Testimonia igitur illa quibus Ianus primus vel tempore vel dignitate fuisse affirmatur, non sera commenta habenda sunt, etiamsi apud scriptores recentiores leguntur, praesertim cum hi in temporibus superioribus cognoscendis multum versati esse possint. Ac cum a Varrone, viro omnis antiquitatis peritissimo *), Ianus princeps vocetur deus (l. l. VI, 34), primus certe tempore vel ordine hic dicitur, quamquam attributum illud etiam ad dignitatem spectare potest, nam hoc quoque sensu *princeps* haud raro usurpatur in sermone latino.

Ianum principem deum et aetate vel ordine et dignitate fuisse existimatum enumeratione quoque Varronis, qua teste Augustino **) (c. d. VII, 2) Ianus inter deos selectos primus ponitur, comprobatur. Iano vero primum hic locum esse datum, quod omnium initiorum potestatem haberet, non est, cur credamus — quae tamen fabula satis multa munera et vilia et ficta huic deo comparavit, ut quod narrat Augustinus (c. d. VII, 2): *aditum aperit recipiendo semini* (l. c., c. 3). Neque magis, credo, quam Ζεὺς Ianus est dicendus deus initiorum, nam quod dixerunt poetae graeci: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, ut est apud Aratum (cfr. etiam Callim. Iov. 1 sq. et Theocr. id. XVII, 1) hoc ad deum *potentissimum* spectare puta. Quam ob rem haud aliter simili in casu de Iano est statuendum. Quem quidem deum Horatius (Sat. II, 6, 22 sq.) non secus invocat: *tu* (Iane) *carminis esto principium*, quo quidem ex dicto honor summus dei antiquissimi etiamnunc cernitur, "unde homines operum primos vitaeque labores" instituere solebant, antiquo quidem more ducti. — Ovidius quoque (Fast. I, 64) eodem modo a Iano incipit:

inque meo primus carmine Ianus adest.

Quocirca hac in causa sic statuo: quia a principio Ianus summus est habitus deus, ideo more maiorum tradito in formulis sacris precibusque deis reliquis identidem praeponitur omnibus. Neque aliter fit in vetere illa formula a Livio (VIII, 9) servata, qua se Decius deis devovet, nam primo hic quoque Ianus,

---

*) Cfr Quintiliani Instit. X, 1. — August. c. d. VI, 2 alibi. — Cic. Acad. I c 3.

**) Cfr August. c. d. VI, 9: Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numeros exorsus est a Iano.

deinde Iuppiter nominatur. Cum vero apud Macrobium (Sat. I, 9, 3) Xenonem scripsisse legimus Iano in sacrificiis praefationem ideo esse datam, quod primus templa deis et ritus instituisset sacrorum, haec vana esse, quis est quin videat? Interpretationem autem illam inde esse natam, quod principatum in sacrificiis huic deo antiquissimis temporibus delatum posteriores non intellexerint, veri simillimum est. Variae igitur illae et viles de initiorum deo interpretationes narratiunculaeque in suspicionem etiam atque etiam sunt vocandae. Sed ad testimonia, ex litteris latinis sumpta, quibus confirmatur sententia nostra iam pergamus.

Nam a sententia nostra non abhorret, quod apud Festum (p. 52) *Chaos* et Ianus conferuntur, ubi ita est scriptum: "Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque in profundum. Ex eo et *χάσκειν* Graeci et nos hiare dicimus. Unde Ianus detracta aspiratione nominatur ideo, *quod fuerit omnium primus; cui primo supplicabant veluti parenti, et a quo rerum omnium factum putabant initium*".

Videmus igitur iterum antiquissimum deum et parentem Ianum in his quasi cosmologiae romanae reliquiis celebrari. Atqui non solum apud Festum haec sententia nobis occurrit, ab Ovidio enim eadem ab antiquis tradita narratur (Fast. I, 103):

me Chaos antiqui — nam sum res prisca — vocabant.

Quare non est, cur de vetustate summa huius dei dubitemus. Chaos enim Ianus ideo, opinor, dicitur quod fuerit omnium primus et quasi principium, unde omnia orta sint. Sed harum omnium rerum formator et ordinator etiam est habitus, nam etsi ipse erat Chaos (i. e. rudis et indigesta rerum moles) rerum omnium perturbationem et confusionem ex inordinato in ordinem adduxit se ipsum facie dei induens. Quod quidem Ovidius non multo aliter enarrat (Fast. I, 105 sqq.):

lucidus hic aër et, quae tria corpora restant,
ignis, aquae, tellus, unus acervus erant,
at semel haec rerum secessit lite suarum
inque novas abiit massa soluta domos;
flamma petit altum, proprior locus aëra cepit,
sederunt medio terra fretumque solo.
tunc ego, qui fueram globus et sine imagine moles,
in faciem redii dignaque membra deo.

nunc quoque (confusae quondam nota parva figurae)
ante quod est in me postque, videtur idem. —

Ianus vero creator mundi ab antiquis esse habitus multis aliis scriptorum latinorum testimoniis etiam luculentius affirmatur. Macrobius enim (Sat. I, 9, 14) tradit Marcum Messalam, anno urbis DCCI consulem et per annos quinquaginta quinque augurem, de Iano librum ita incepisse: *Qui cuncta fingit eademque regit, aquae terraeque vim ac naturam gravem atque pronam in profundum dilabentem ignis atque animae levem in immensum sublime fugientem, copularit circumdato caelo: quae vis caeli maxime duas vis dispares colligavit.*

Ita mundi creationem per Ianum effectam descripsit is, qui ipso munere suo plus dimidio seculo ad res divinas Romanorum cognoscendas paene cogeretur. Quare eum doctrinam sacerdotum vere romanam protulisse non est incredibile, nam aliunde eam esse sumptam vix demonstrari posse credo, quamquam ita statuit Zander (l. c. p. 58): "In his cum alia philosophorum inventa tum stoica quaedam secutus est". Sed monendus est et a philosophis omnino et maxime a Stoicis Iovem non Ianum mundi creatorem et gubernatorem esse existimatum. Nam apud Senecam (Nat. Quaest. II, 45) ut unum e multis afferam exemplum, haec legimus; — — — *eundem quem nos Iovem intellegunt, rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem.* — De Iano vero, creatore et rectore universi, nihil philosophos commemoravisse, non est mirum, quippe cum de deis praeteritarum aetatum disserendi vulgo non esset causa. Magis vero poetae hac sacerdotum doctrina delectati videntur; quare eam vere romanam *) et quasi ex intimis religionis romanae penetralibus ductam puto. Nam poetae et recentissimi et antiquissimi idem de Iano praedicarunt. Neque enim scriptores inferioris aetatis memoriam antiquissimi dei plane deposuerunt: Iuvenalem exempli causa nomino. Immo vero Martialis quoque (X, 28, 1) Ianum *annorum mundique satorem* etiamtunc appellat. — Septimius Serenus denique, poeta multo inferioris aetatis, ita Iani naturam et munera depingit, vetera novis commiscens:

---

*) Iam Cicero (N. D. III § 43) recte iudicavit fontes romanos rationibus Stoicorum esse praeferendos: *docebo,* inquit, *meliora me didicisse de colendis dis immortalibus iure pontificio et maiorum more capedunculis iis, quas Numa reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum.*

Iane pater, Iane tuens, Diue biceps, biformis,
O cate rerum sator, o principium deorum. —
cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Itaque a scriptoribus plerisque Ianum ut rerum omnium auctorem et procreatorem celebrari vidimus, immo vero auctor vel parens deorum ipsorum dicitur — id quod *principium deorum* mihi videtur significare, adiuncta tamen significatione *princeps* vel *caput deorum* non plane exclusa; praeterea apud Augustinum (c. d. VII, 28) *caput deorum* Ianus aperte dicitur. Legimus enim loco laudato: *Quid est ergo, quod dicitur, caput deorum Ianus, caput dearum Tellus,* — sic enim constituerat Varro.

Atqui non solum apud scriptores recentiores *creatoris* cognomen Iano tribuitur, sed etiam in antiquissimis poesis romanae reliquiis vel in carminibus Saliorum; plerique enim huius carminis editores vel restauratores in verbis deperditis loci Varroniani (l. l. VII, 26) plane idem de Iano affirmari se invenisse crediderunt *).

Spretis vero ac repudiatis vanis illis loci restituendi conatibus, restant tamen in carmine Saliari verba idem significantia — quae ad Ianum referri debent — meliusque confirmata. Nam apud Festum p. 122 haec leguntur: — *et in carmine Saliari Cerus manus intelligitur creator bonus.* Nam si consideremus Salios sacerdotes etiam ad Ianum canendum institutos fuisse, ut testatur Ioannes Lydus (de mens. IV, 2): *δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸσ τοῦ Νουμᾶ τοὺς καλουμένους Σαλίους ὁρισθῆναι φασιν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ιταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν*, et testimonia scriptorum iam supra enumerata, quibus etiam atque etiam Ianus creator esse confirmatur, annumeremus, iam eo verisimile fit Ianum etiam in carmine Saliorum *cerum manum* i. e. bonum creatorem fuisse appellatum, atque haec ipsa verba (cerum manum) ad Ianum solum eodem in carmine

---

*) E codicis Florentini reliquiis: *DUO MISCERUSES DUN IANUSUE* iam Corssen haec restuit verba: *Duonus Ceruses, dunus Ianus: Bonus creator, bonus Ianus* (Cfr Beitr. zur lt. Sprachk. p. 351 — Ausspr. I, p. 229 ann. et p. 473). Bergk, Op. I p. 485: *Ianitos Ianes: duonus cerus es, Ianes.* — *Havet,* de Saturn. lat. versu p. 410 legit: *duonus Ceruses, Jordan vero* (Krit. Beitr. p. 224): *duonus cérus es, duonus Iánus,* — sed cum ex ipso orationis contextu pateat, hic non versus aut versuum partes esse quaerendas sed tantummodo singula verba, inter *s* et *r* variantia, plane falsa existimanda sunt ista de Iano indicia, praesertim cum vix unum verbum ad loci sententiam conveniat, quamquam ad rem propositam illustrandam quam maxime valerent versus illi, largi enim reditus mythologiae saltem inde redundarent.

spectasse, nam nisi sacerdotes ipsius Iano creatoris personam tribuissent, quis tandem tribuisset? Hoc ex fonte credibile est poetas posteriores doctrinam suam repetivisse.

Cerus vero, quod vocabulum Festus idem atque creatorem significare ait, ad radicem *qer* agere perbene referri potest, sanscr. *kar*, quae etiam occurrit in gr. *Κρόνος*, cui formae respondet scr. *Krānás* agens, sedulus, studiosus (cfr Brugmann, Grundr. d. vgl. Gr. p. 142 sq.).

Nomina, quae sunt *cĕrus* et Cĕr-ēs, cognata esse cum Corsseno *) existimo, et idem fere significant. *Cerus* igitur creator est et *Ceres* quasi dea creationis (perpetuae); mediam radicis formam utraque prabet vox, dum cognatae voces *cr*-ē-*āre*, *cr*-ē-ā-*tor*, *cr*-ē-*scere* cet. levissimam habent formam. Vocem vero, quae est cērus: creator, cum voce illa, quae est *cerrus* vel *cerus* (e. gr. in ceri-monia) > *cersus, umbr. *Çerfus*, unde adj. *çerfius*, osc. kerrí [kerríiaí, kerriiúí, kerrúís, quae epitheta deis adduntur (tab. Agn.)], cognatam esse non credo, ut vult Bréal (Mémoire de la Société de Lingu. IV p. 142 et Dict. etym. lat. s. v.). *Cerrus* enim idem atque *genius* vel *δαίμων* est, bonus malusve **) (cfr lat. cerritus = (malo) genio affectus), quare *cerrus* (> *cer-sus) potius cum dea graecorum, quae est *Κήρ*, dea mortis — cui voci cognata sunt verba *κηραίνω* nocere et *ἀκήριοσ* inviolatus (cfr Corssen, Ausspr.[2] I p. 403 et 521 sq.) — conferendum puto.

Derivatio autem nostra e radice *qer* etiam interpretatione Festi (p. 122) confirmatur: *in carmine Saliari cerus manus intelligitur creator bonus*, — quae interpretatio cur in dubitationem vocetur, non intelligo; quare Buecheler (cfr Preller, Röm. Myth.[3] I p. 79 ann. 2) *cerum* idem esse atque cerrum i. e. genium non recte statuisse mihi videtur, praesertim cum ipsa significatio (genius) a carmine adeo antiquo quam alienissima est, nam deus summus *genius* vix umquam est appellatus, quod nomen magis ad deos minorum gentium (Geister und Dämonen, vid. Preller, l. c. p. 75) convenit, omnis enim illa geniorum ratio aetatis multo posterioris sit, est necesse. Nam incertae illae et vagae geniorum definitiones Varronis ***) apud Augustinum (c. d. VII, 13) non ab an-

---

*) Ausspr.[2] I p. 229 ann. — Quae contradixit Zander (l. c. p. 25) facile tolluntur, cum et versus ille Saturnius et vox ipsa *cerus* illo loco coniecturae (falsae) debeantur.

**) Cfr Serv. V. Aen. 743: *cum nascimur duos genios sortimur. Unus est qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala.*

***) *Quid est genius? Deus est, inquit, qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.* — — — alio loco *genium dicit esse uniuscuiusque animum rationalem et ideo esse singulos singulorum*: talem autem mundi animum Deum esse, ad hoc idem utique revocat, ut *tamquam universalis genius ipse mundi animus* esse credatur. Unde pantheismi, qui

tiquissimis et carminis Saliaris temporibus sunt repetendae, sed simpliciter e Stoicorum ratione (Preller, l. c. 77), quam plane redolent, ducendae; atque veri simillimum est hanc doctrinam totam a stoicis, si non inventam, at explicatam tamen et conformatam esse ad rationem eorum, qui omnem vim divinam in universa natura sitam esse censeant.

Ianum autem in carmine Saliorum creatorem appellatum esse minime est mirum, nam alii quoque gentium indogermanicarum dei summi partes creatoris agunt (cfr librum meum: Indog. h. g. p. 53 sq. et p. 68). Immo etiam ut deus sui potens in carminibus vedicis *Dhâtar* (i. e. creator) inducitur, e. gr. VII, 35, 3, itaque persaepe in libro decimo hymnorum vedicorum fit, ubi tamen *dhâta* ad *Varunum*, qui mundum creavit, ita referri potest, ut pro deo ipso cognomen eius sit positum. Nam creator (dhâtar) et Varuna idem possunt valere. — Eodem modo *Κρόνος* (i. e. creator) deus sui iuris factus esse potest. *Κρόνος* enim cognomen dei summi a principio facile fuit, cum *Οὐρανὸς* a Graecis *κρόνος* vel creator etiam nominari potuerit.

Litterarum latinarum igitur monumenta et antiquiora et recentiora laudibus creatoris Ianum, licet parce fiat, ornant. Sed qui mundum creasse cogitetur, is etiam regnator et gubernator mundi habeatur, prope est necesse. Quae quidem ratio in omnibus fere religionibus, quod sciam, valet. Atque ita quidem esse in religione Indorum iam antea ostendi in libro illo, quem inscripsi Indogermanernas högste gud, p. 54. Quocirca eandem rationem religionis Romanorum esse iam per se credibile est, Ianumque fuisse deum, qui totum mundum administraret. In reliquiis vero carminis Saliaris, cuius plus duo vix restant versus integri, nihil de Iano mundi gubernatore traditum esse, non est quod valde miremur, quamquam ne hanc quidem sententiam carminis Saliaris summae repugnare mox videbimus. Sed primum afferemus locos scriptorum, quos Ianum mundi gubernatorem celebrare cognitos habemus.

Ut a Tuscis auctore Varrone (Ioann. Lyd. de mens. IV, 2) *ἔφορoσ πάσησ πράξεως* Ianus habebatur, ita etiam a Romanis *cuncta regere* credebatur. Messalla enim, cuius iam mentionem fecimus, apud Macrobium (Sat. I, 9, 14) de Iano liberrime profitetur: *Qui cuncta fingit eademque regit;* hic igitur omnium rerum auctor harum ipsarum rerum gubernator et moderator esse etiam dicitur.

---

vocatur, conclusionem exprompsit Augustinus: *nam si*, inquit, *omnis genius Deus et omnis viri animus genius, sequitur, ut sit omnis viri animus Deus.*

Ovidius quoque, qui copiosius ceteris creationem mundi descripsit, copiosissime etiam conservandi munus Iani enarrat (Fast. I, 117 sqq.):

quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras:
omnia sunt nostra clausa patentque manu.
me penes est unum vasti custodia mundi,
et ius vertendi cardinis omne meum est.
cum libuit Pacem placidis emittere tectis,
libera per tutas ambulat illa vias:
sanguine letifero totus miscebitur orbis,
ni teneant rigidae condita bella serae.
praesideo foribus caeli cum mitibus Horis;
it, redit officio Iuppiter ipse meo.

Gubernatorem mundi Ianum in theologia romana celebrari loci quidem allati confirmant. Quam certe opinionem ab hominibus ultimae memoriae alienam non fuisse ex eo intelligitur, quod *Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur* Ianus, ut est apud Macrobium (Saturn. I, 9, 14); ac si princeps deus est (Varr. l. l. VI, 34) et procreator mundi, iam inde sequi debet, ut opus suum regere existimetur, praesertim si nemo deorum ei par sit aut superior. Ipse ille versus carminis Saliaris, ubi Ianus deus deorum canitur, etsi non plane integer, a Varrone (l. l. VII, 27) servatus est:

Divum empta cante, divum deo supplicante.

Zander tamen praeiudicata opinione occupatus hoc aperte dictum Macrobi (cui vel omnis cognitio carminis Saliaris non est abiudicanda), — quod paene repetitur l. c. § 16: (Ianum) *patrem* (invocamus) *quasi deorum deum* — in suspicionem vocavit, contendens 'deorum deum' et forma et significatione a carmine Saliorum esse alienum (l. c. 54 sqq.). Formas enim traditas recentiores esse, quam quae ferri possint, arbitratur. At genitivi forma *divum* non est exagitanda, nam ratione scribendi excepta ab antiquissima forma *deivom* nihil fere differt, quod tamen mendum facile est scribae *). Forma autem *deo* me iudice multo minus dubitationis praebet quam immanissima forma *deous* **) (i. e. diei), quam substitutam vult.

---

*) Cfr Varr. l. l. V, 65, ubi in versu Enniano: *Divomque hominumque pater rex* codices praebent *divum.*

**) Hanc formam fictam formis *dious* et *dius* (p. 31) exaequat, sed cur dius dious per synezesin sine circuitione legere non est fas, ut Plautinum diu?

Praeterea, etiamsi antiqui formas, quales sunt *deivos*, *divus*, praecipue usurparint, vix poetico sermoni — ne antiquissimo quidem — forma levior *deus* *) (cfr etiam Henry, grammaire comp. lat. et gr. p. 48 ann.) est abiudicanda, praesertim cum formarum verborumve vetustatem accuratissime persequi non possimus. Ac revera in antiquissimis linguarum reliquiis formae, quae recentiores esse videntur, saepe inveniuntur, ut in carminibus vedicis haud raro fit.

Jordan vero (Krit. Beitr. p. 222) et ceteri critici providi cautique a sacris reliquiis manus abstinuerunt atque, ut decet, immutatas reliquerunt voces quidem *divom deo.* Ac cum hic versus carminis Saliorum quasi fundamentum sit quaestionis nostrae, scripturam codicum gravius defendam, praesertim si et res et formae recte se habent. Praeterea iam per se apparet pluris esse existimandam auctoritatem codicum quam arbitrium criticorum. — Jordano tamen grammatica illa figura 'deus deorum' mira est visa, quam male ita interpretatur: *der Gott aus der Zahl der ungezählten Himmlischen*, reiciens sensum quasi a natura datum, quo idem haec formula valeret atque *βασιλεὺς βασιλέων* graeci sermonis, cum Homerico illo *δῖα θεάων* confert.

Sed de integritate huius grammaticae figurae in latino sermone non est dubitandum. Optime enim se habet illud 'deus deorum'. Est figura plane indogermanica — occidentis et orientis aeque propria, nam in linguis latina et graeca non minus quam in sanscrita et persica frequentatur. Immo etiam in hymnis vedicis haec loquendi formula obvia est, nam *devó devá-nām* compluribus locis legitur, e. gr. RV. I, 31, 1; 68, 2; 94, 13. In inscriptionibus persicis consimilis figura iterum atque iterum repetitur: *khshâyathiya khshâyathiyânâm* i. e. rex regum (vid. Spiegel, Altpers. Keilinschr. p. 2, 42, 46, 48 cet.). Ab aetate igitur carminis Saliaris aliena non est loquendi formula 'deus deorum', ut asseverat Zander (l. c. 55), nam hymni vedici, quos eodem vitio laborare vidimus, duobus fere millibus annorum ante Christum natum vulgo repetuntur (Whitney, Indische Gramm. p. XVI). Neque multo recentiores persicae inscriptiones appellatae carmine Saliari existimari debent. Itaque, quod ad aetatem attinet, notio 'deus deorum' non est reprehendenda. Sed ipsam formulam, eamque legitimam, etiam carpit Zander (l. c.), posterioris latinitatis eam esse affirmans

---

*) Attamen eiusmodi formarum vicissitudo etiam apud Plautum cernitur, e. gr. Amph. v. 45 *deorum* et 53 *deus* sed v. 57 *divos* — atque in inscriptione satis antiqua (C. I. L. I, 632) *deo* et *deivai* una leguntur: *sei deo sei deivae.*

nulloque exemplo aetate Ciceroniana superiore probari. Sed ne hoc quidem plane verum est. Nam et *regum rex* (Capt. 825) et *victor victorum* (Trin. 309) legitur apud Plautum, qui neque homo Iudaeus est et aetate Ciceroniana multo superior.

Porro considerandum nobis est apud Graecos quoque eandem formulam in usu haud infrequenter esse, nam apud Aeschylum supplices (Suppl. v. 524) Iovem his verbis invocant: *ἄναξ ἀνάκτων.* Conferas velim Pers. v. 666 *δέσποτα δεσποτᾶν* et v. 673 *δυνάστα δυναστᾶν* (vel potius *δυνάτα δυνατᾶν* *), ut recte statuit Haupt (Op. II, 155), nam plane respondent Persarum formulae *khshâyathiya khshâyathiyânâm.*

Quod si ita est, nulla relinquitur dubitatio, quin recte se habeat illud *'deus deorum'* a Macrobio carmini Saliari vindicatum, ac cum nemo alius auctoritatem eius, quae in mythologicis **) quidem rebus non adeo nulla est (vid. Bernhardy, Grundr. d. Röm. Litt. [3] p. 769), in dubitationem vocavit, Macrobio multo tutius confidere et possumus et debemus, cui quidem ex ipsis fontibus hauriendi erat postetas.

Sin vero de sensu formulae quaeramus, Hauptio (Op. II, 155) assentiendum puto, quo auctore illa quidem idem valet atque *summus deus aliisque imperans* vel princeps deorum. In inscriptionibus enim persicis (Spiegel, Altpers. Keilinschr. p. 46) interpretatio formulae profecto legitur, nam *mathishta bagânâm* (summus deorum), ut ex continua oratione elucet comparato illo kshâyathiya kshâyathiyânâm, pro loquendi formula *baga bagânâm* (i. e. deus deorum) ponitur. Immo vero Horatius quoque eodem modo explicat huiusmodi formam dicendi, nam *rex regum* (Ep. I, 1, 107) idem valere quod *magnorum maxime regum* (Sat. I, 3, 136), plane est necesse.

At non solum alteram partem versus Saliaris dicti mutandam censuit Zander, sed etiam priorem versus partem (l. c. p. 4) ferro non minus duro aggressus est, ut plus unum vocabulum toto in versu vix intactum sit relictum. — Praeterea si consideremus eum contra gravissimum Macrobi testimonium (Sat. I, 9, 14) deum plane novum (Diovem) intulisse et totam sententiam ita mutasse, ut eam magis ad contemplativam mythologiam nostrae aetatis vel doctrinam

---

*) Hoc loco Wecklein *δυνάτα δυνάτα* legit ut loco superiore *δέσποτα δεσπότου*, quod inane est. Recte enim admonet Haupt (l. c.) 'non sine quadam orientis populorum imitatione Aeschylum hic locutum esse'.

**) Aliter in rebus etymologicis fieri non est, quod miremur, nam hac in re tota antiquitas vacillat et claudicat. Idem fere in prima natura deorum constituenda interdum fieri eo excusatur, quod Stoicos vulgo sequebatur, qui ex ipsis etymis (falsis) naturam deorum statuere solebant (cfr Cic, N. D. II § 64 sqq.).

stoicam conformaverit, quam ad antiquitatis simplicitatem sentiendi, haud difficile intellectu est, quanti habenda sit eiusmodi corrigendi ratio. Nam plane falso-antiqui (Gellius Noct. Att. I, 12, 5 et Macrobius Saturn. I, 15, 14) haec statuerunt: Diespiter idem est atque diei vel lucis pater; sed idem est atque Dies pater *) (fadren Himmel), ut etiam confirmant scr. *Dyâus pitâ* et gr. *Ζεὺς πατήρ*. Eodem modo se habet *Iu-piter* > **Ieu pater*, *Iou-pater* (umbr. *Iu-pater*) > *Ζεῦ πάτερ* (cfr Brugm. Grundr. d. vgl. gramm. II p. 60). — Notio igitur illa *deus diei* ab aetate carminis Saliaris quam longissime aliena videtur. At quominus Ianus deus deorum appellatus sit in carmine Saliorum, sacerdotum ipsius, nihil omnino, ut vidimus, impedit, praesertim si antiquissimis temporibus summus deus habitus sit.

Multo melius et nulla fere mutatione facta *Havet* (de Saturn. Lat. versu p. 410 — cfr 244, 251 sq.) versum illum Saliarem sic edidit:

Divum em pa cante, divom deo supplicate,

et ita interpretatus est: *Divorum eum patrem canite, divorum deo supplicate.* Consimilis loquendi formula in vedicis hymnis etiam frequentatur, ubi de deo summi ordinis (I, 69, 2) legitur *devánām pitâ* itemque (II, 26, 3) devánām pitáram. Atque ut Macrobio *pater deorum* idem fere atque *deus deorum* (Saturn. I, 9, 16) est, ita poetis Indorum *pitâ devānām* et *devó devānām* idem fere valent, praesertim cum epitheton utrumque de uno eodemque deo adhibitum videamus.

Considerantibus igibur nobis Ianum *patrem* (cfr Macrob. I, 9, 15) vulgo appellari et perpendentibus testimonium Macrobi, quo Ianus in carmine Saliorum *deus deorum* nominatur, veri simillimum videtur hunc versum ad Ianum deum spectare. Neque aliter censuit Bergk (Opusc. I, p. 489). Quam ob rem neque verbis codicum neque testimoniis vetustatis vehementer violatis nomen ipsius dei suo loco forsitan reponere liceat:

*Deivom | [Ian]em | patrem **) can | te, dei | vom deo | suppli | cate.*

---

*) Ita re ipsa vocem etiam interpretatur Varro (l. l. V, 66, ubi est: *Diespiter — —, id est dies pater*, fadren Himmel l. Dag), ut *Diespiter* pro **Diiēus-piter* sit (vid. Stolz lat. gramm. [2] p. 331).

**) Forma *patrem* a codicum scriptura magnopere adeo non differt, nam *pta* facile e *pat* est corruptum, "cum in longobardica quae dicitur litteratura *t* similis litterae *a* fiat" (Havet l. c. p. 250). Ad ipsam pronuntiandi rationem illustrandam aliquantum pertinet

Ad tertium schema Haveti (l. c. p. 251) versum redegi, quem ita interpretari licet: *deorum Ianum patrem [aut caelum vel deum Ianum patrem] canite.*

Ianem *) proposui et propter codicum lectionem *em* et propter testimonium Tertulliani (Apol. 10), qui Salios Ianem dixisse confirmat: — *exceptus a Iano vel Iane, ut Salii volunt,* nam quod Corssen (Beitr. zur Sprachk. p. 352 ann.) contradixit nihili esse puto, cum praesertim forma illa *Ianis* forma tusca, quae est *Ani* (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25) etiam defendatur.

Patrem iam in carmine Saliorum Ianum esse appellatum valde est credibile, nam cognomen illud *pater* per omnes fere aetates latini sermonis de Iano et in poetica et in prosa oratione repetitur (Hor. Sat. II, 6, 20 sq. Ep. I, 16, 59; Verg. Aen. VIII, 357; Iuvenal. Sat. VI, 393; Caton. de re rust. 134; Tertull. Nat. II, 15; Arnob. III, 29. — C. I. L. III, 2881, 3030; Gell. Att. Noct. V, 12: Ianuspater).

Atque hoc quoque cognomine Ianus antiquissimus fuisse deus perhibetur. Nam ut antiquissimae hominum societatis caput erat *pater* vel *pater familias* non rex, ita etiam regnator deorum a principio pater appellatus est, ut qui patriarcharum more regnare crederetur. Sicut in hymnis vedicis deus antiquissimus, qui est *Dyâus*, frequentissime *pitâ* i. e. pater nominatur (cfr Bradke, Dyâus Asura p. 14), dum Varuna et alii dei magni posterioris aetatis *reges* vocantur (Bradke l. c. p. 13). Quocirca non est mirum Iovem etiam apud Romanos regem imprimis appellari. Ab Ennio enim (179) Iuppiter *divomque hominomque pater rex* (Varr. l. l. V, 65) dicitur, nam Iuppiter rex omnium communiter habebatur teste Augustino (c. d. VII, 11), ut qui temporibus illis principatum deorum susciperet, quibus civitatis gubernatores reges vulgo appellari solebant. Nam recte, credo, statuit Mommsen (Röm. Gesch. [7] I, 167), Iovi tum demum principatum inter deos esse datum, cum Capitolium **) arx oppidi esset factum, ubi

---

annotatio Festi p. 205, qua docemur: *Pa pro patre* (codd. *parte*) *et po pro potissimum positum est in Saliari carmine*; unde concludo formam, quae est *patrem*, monosyllabam pronuntiari potuisse, ut *pater* apud Plautum saepe monosyllabum est. Immo vero etiam in inscriptionibus forma *patr* invenitur (C. I. L. I, 130 — cfr *Diespitr* ib. 1500 — vid. Stolz, lat. gramm. [2] p. 322, et de ipsa sonorum qualitate confer Sievers, Phon. [2] p. 29 sq.).

*) Eadem suffixi vicissitudo cernitur in voce, quae est *manus* bonus, comparatis formis, quales sunt *mane* (proprie: i god tid), *manes* (divi), *immanis* — cfr Macrob. Sat. I, 3, 13: *nam et Lanuvini mane pro bono dicunt, sicut apud nos quoque contrarium est immane,*

**) vid. Hertzberg, Geschichte von Hellas u. Rom II, p. 47.

Tarquinius Superbus, ut fama est, templum Iovis Capitolini aedificandum curavit (Liv. I, 53, cfr Preller, Röm. Myth. [3] p. 205).

Antea arx in Palatino monte fuerat, nam in Palatio prima urbi fundamenta iecit Romulus (Liv. I, 12, 4) et Palatium primum munivit (ib. 7, 3). Praeterea facile dubitare possumus, num re vera prima arx Romae in Palatio fuerit, nam cum Ianus Ianiculi oppidi conditor fuisse dicatur (Arnob. adv. nat. III, 29, I, 36 — cfr August. c. d. VII, 4) primam in Ianiculo, ubi domus regia Iani erat (Preller, Röm. Myth. [3] p. 182, Rosch. Lex. Myth. II p. 22 sq.), arcem urbis etiam fuisse suspicari licet et ad haec tempora Iani principatum inter deos pertinuisse. De Ianiculo, vetere sede Iani, Ovidius (Fast. I, 245 sq.) Ianum inducit dicentem:

Arx mea collis erat, quem volgus nomine nostro
nuncupat, haec aetas Ianiculumque vocat

(cfr Verg. Aen. VIII, 357 sq.). Cui sententiae non repugnant haec verba Macrobi (Sat. I, 7, 19): *Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Ianus optinuit, qui, ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camese aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebant, ut regio Camesene, oppidum Ianiculum vocitaretur.* Praeterea quod rex *) Italiae antiquissimus fuisse dicitur, haec ratio tota ab Euhemero eiusque sectatoribus pendet. Sed etiam haec fabula per se nihil aliud probare potest, quam quod iam statuimus, Ianum omnium deorum Italorum fuisse primum.

In Ianiculo templum antiquissimum dei etiam fuit (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25), quod fortasse idem est atque domus regia supra dicta. Meritissimo igitur Ianus ab Herodiano (I, 161) *θεὸς ἀρχαιότατοσ τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριος* appellatur. Quod idem de Iano narrat Procopius (bell. goth. I, 25) *ὁ Ἰανὸς πρῶτοσ ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν, οὖσ δὲ Ῥωμαῖοι γλώσσῃ τῇ σφετέρᾳ πενάτας* (codd. *πενητας*) *ἐκάλουν.* Ac cum Varro teste Tertulliano (ad nat. II, 12) "antiquissimos deos Iovem, Iunonem et Minervam referat", cum Tertulliano respondere possumus "omnem patrem filiis esse antiquiorem, tam Saturnum Iove quam Caelum (i. e. Ianum) Saturno". A ratione igitur nostra plane non abhorret indicium illud Tertulliani. Praeterea idem Varro teste Augustino (c. d. IV, 23) sententiae nostrae plane congruenter haec commemorat: "*Romulus constituit Ro-*

---

*) Arnob. adv. Nat. III, 29: — Ianum — ferunt — — in Italia regnasse primum.

manis deos Ianum, Iovem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem; unde concludo Ianum principem deum primo nominari, ut cui temporibus illis antiquissimis primus locus tribui soleret.

Ianus antiquissimus erat deus, nam antiquissimis temporibus opem et auxilium Romanis tulit, cum in summo discrimine rerum impetum Sabinorum repulit hostesque ab arce defendit, qua de re nos certiores facit Ovidius (Fast. I p. 259 sqq. — Metam. XIV, 785 sqq.) — cfr Macrob. Sat. I, 9, 18 et Hartung, Rel. d. Röm. II p. 225 et Preller, Röm. Myth.[3] I p. 170. At si nihilo tamen minus Livius (I, 12) Romulum inducit Iovem invocantem, hoc magis errore factum esse potest, quam quod statuit Zander (l. c. p. 55): "ut posteriores quidam antiquissimum Ianum dicerent per errorem facilem factum est". Nam errore facilius fieri potest, ut deus, qui aetate scriptoris cuiusdam maximus sit, temporibus superioribus maximus fuisse etiam credatur, quam ut deo, qui iam pridem desierit summus haberi, errore hic honor tribuatur — nam id quidem animi aberratione minime fieri potuisse videtur. Iano suum tribuere ii soli potuerunt, qui ab antiquis meliora et vera didicissent. Livius autem Iovem Romulum invocantem facile ideo fecit, quod inter deum principem suae ipsius aetatis et Romuli non satis distinxerit. Fabula igitur Ovidi, qua Ianus Romanis contra Sabinos auxilium ferre traditur, veritati et rei ipsi melius inservit.

Ianum deum summa aetate et dignitate fuisse etiam eo indicatur, quod asses imagine eius signabantur, ut nummi quidam Graecorum Διὸς imaginem praebent. Neque dignitati summae dei repugnat quod ipse rex ab initio sacra eius obibat (Deecke, Etr. Forsch. IV, 26 — Preller, Röm. Myth.[3] I p. 166), quae postea a rege sacrorum sunt facta, qui tamen dignitate ceteros praestitit sacerdotes, ut e loco quodam Gelli (X, 15, 21) cognoscimus: *super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus haut quisquam alius accumbit.* Idem fere Festus (p. 185) etiam testatur: 'Ordo sacerdotum aestimatur deorum *ordine, ut deus* maximus quisque. *Maximus videtur Rex*, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus. *Itaque in conviviis solus Rex supra omnis accubat. — — — Rex, quia potentissimus*' (cfr Preller, Röm. Myth.[3] I p. 64 ann. et p. 122) — Quae omnia mihi satis indicare videntur Ianum a principio deum summum Italorum fuisse.

Alia vero res, quae Ianum antiquissimum fuisse deum comprobat, haec est: fama aetatem, qua durabat imperium eius, beatissimam servavit, eaque aurea aetas est appellata. Tunc enim omnibus pacis et fortunae beneficiis genus hu-

manum, virtuti totum deditum, utebatur, nam 'mythici referunt', ut est apud Macrobium (Saturn. I, 9, 2), 'regnante Iano omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas'. Nondum enim dei ab hominibus separati vitam degerunt, sed hominibus immixti vivebant. Quare Ovidius deum ipsum hac de aetate profitentem inducit:

Tunc ego regnabam, cum terra deorum
Esset et humanis numina mixta locis.

Haec erat quasi infantia populi romani, ac cum omnes fere — et homines singuli et gentes — infantiam suam felicissimam et beatissimam semper existiment, non est mirum, ita etiam populo romano esse visum. Itaque ante Iovem et Saturnum in Italia Ianus erat, ut fama est, primumque deis templa fecit ritusque instituit (Macrob. Saturn. I, 9, 3). Unde apparet eum, si quidem rem more Euhemeri consideremus, et dignitate et tempore illos anteisse. Princeps erat deus, deus universi, unde profecta est opinio illa pervulgata Ianum tantummodo fuisse initiorum deum.

Apud Tuscos *Ani* i. e. Ianus primam inter deos obtinuit sedem, ut e monumento quodam aereo Placentino, de quo agit Deecke, Etr. Forsch. IV, 24 sqq., cognitum habemus. Diviserunt enim ad fulgura observanda Tusci caelum in sedecim partes, ut loco Pliniano (H. N. II, 54, 143) etiam comprobatur: 'In sedecim partes caelum in eo spectu divisere Tusci. prima est a septemtrionibus ad aequinoctialem exortum, secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad septemtriones. has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras'. In prima harum partium vel regionum sedes erat Iani (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25). Cuius rei causa non est, ut opinantur Deecke (l. c. 26) et alii, quod Ianus initiorum sit deus, sed hanc causam esse existimo, quod Ianus re vera a principio deus summus haberetur, nam deum principem prima decuit regio. Huc spectare videntur verba Lydi (de mens. IV, 2): *δύναμιν αὐτὸν εἶναι τινα βούλεται ἐφ' ἑκατέρας Ἄρκτου τεταγμένην.* Idem fortasse sibi vult templum eius in *regione septemtrionali* fori romani situm (Liv. I, 19, 2 — cfr Roscheri Lex. Mythol. II, p. 15 sp. — Jordan, Top. II, p. 214).

Ianus caeli erat deus, ut iam supra constituimus, quare etiam cognomina eius caelestis dei naturam illustrare imprimis debent. Ac cum deum illum e

monumentis et litterarum et artis gemina facie praeditum norimus, hac facie dupplici rem vel qualitatem naturae declarari consentaneum est. Haec enim cognomina omnia *anceps*, *biceps*, *biformis*, *geminus* *) ad dupplicem faciem spectant. Ac quamquam quid significet gemina facies intellectu non adeo difficile est, multis tamen variisque modis res est accepta perperamque explicata. Fuerunt enim, qui geminam faciem ad commune Romuli et Tati regnum referrent: ita quidem Servius (ad Aen. I, 291): 'unde et Ianus ipse duas facies habet, quasi ut ostendat duorum regum coitionem' (cfr Serv. ad Aen. XII, 198), Niebuhr (Röm. Gesch. I p. 166, Schwenck (Myth. d. Röm. p. 132). — Alii vero imagines bifrontes Ianum et Saturnum ostendere putarunt, alii Apollinem et Dianam (Macrob. Saturn. I, 9, 5). Plutarchus (Quaest. Roman. c. 22) dupplicem dedit interpretationem: *πότερον ὅτι . . μέταβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν; ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν . . εἰς ἕτερον βίου σχῆμα . . μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε.* Interpretationem Varronis magis etiam miram Augustinus (c. d. VII, 8) affert: 'Duas enim facies ante et retro habere dicitur, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis videatur, — — — a quo hiatu oris et fores esse aditum ad dentes versus et introrsus ad fauces'. Gavius vero Bassus Ianum geminum eo spectare putat, quod hominum preces ab hominibus ferat ad deos, cuius sententia a Lydo (de mens. IV, 2) est servata: *ταύτῃ δίμορφοσ εἶναι λέγεται ἔκ τε τῆς πρὸσ ἡμᾶσ ἔκ τε τῆς πρὸσ θεοὺς ὄψεωσ* (cfr Macrob. Saturn. I, 9, 9 et 13: 'quasi superum atque inferum ianitorem'). Sed alii aliter de hac re senserunt (cfr etiam Hartung, Rel. der Röm. II p. 220 sq.).

Attamen huiuscemodi opinionum commenta omittamus et quasi philosophanti ipsae naturae oboediamus. Atque Macrobius (Saturn. I, 7, 20) vere mihi iam videtur faciem geminam esse interpretatus: 'creditur, inquit, (Ianus) geminam faciem praetulisse, ut quae ante quaeque post tergum essent intueretur', quamquam verba illa non ita sunt accipienda, ut ipse ea vult accepta, pergit enim: quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset et futura prospiceret'. Quae interpratatio alio loco (Saturn. I, 9, 4) verbis aliquantum mutatis ita exprimitur: 'quod et praeterita sciverit et fu-

---

*) Imagines et statuae graecae Mercuri dei consimiles sunt, sed prorsus aliam rem mihi declarare videntur. Sed de hac re alio libro agere in animo mihi est.

tura providerit'. Quae tamen interpretatio magis philosophi propria est quam hominis simplicis in rerum natura contemplanda versantis.

Gemina vero facies mihi quidem videtur imago esse simplicissima et antiquissima dei omnia videntis et scientis. Nam priscos illos homines deum principem et omnipotentem et omnia scientem esse sibi iam persuasisse ex mythologia comparativa, quam vocant, satis cognitum est (cfr Darmesteter, Ormazd et Ahriman p. 28 et 50 et librum meum Indog. h. g. p. 32, 57, 68).

Ac Graeci quoque deum summum pluribus oculis ornarunt, nam *Ζεὺς κύκλωψ* vel *τριόφθαλμος* in fabulis Argivorum commemoratur (Mayer, Giganten u. Titanen p. 113 sqq.), quamquam et a scriptoribus et ab artificibus tres illi oculi male sunt intellecti et collocati. Tertius enim oculus occipiti est tribuendus, ut, quae postea essent, deus intueri posset. Eodem modo tertius oculus Argi, Ius custodis, a Iunone in occipitio (cfr Mayer l. c. p. 115) collocatus existimandus est. Melius etiam Romani rei consuluerunt Ianum non solum bifrontem, sed etiam quadrifrontem fingentes, 'ut demonstrat simulacrum eius Faleris advectum' (Macrob. I, 9, 13). Bifrontis altera facies conversa erat ad orientem altera ad occidentem solem, ut testatur Ovidius (Fast. I, 139):

Sic ego prospicio caelestis ianitor aulae
Eoas partes hesperiasque simul.

Idem simulacrum Procopius (de bello goth. I, 25) eodem fere modo describit: *καὶ τοῦ προσώπου θάτερον μὲν πρὸσ ἀνίσχοντα, τὸ δὲ ἕτερον πρὸσ δύοντα ἥλιον τέτραπται, θύραι τε χαλκαὶ ἐφ' ἑκατέρῳ προσώπῳ εἰσιν.*

Sol igitur, caeli vel Iani oculus, origo imaginis prima est, et quadrifrons deus quasi perfectior imago dei omnia videntis, nam bifrons quae retro et ante sint intuetur, quadrifrons autem etiam quae a lateribus sint videt.

Iani dupplex vel quadruplex facies imago est solis in omnes partes semper circumspicientis. Quid igitur? Nonne Ianus sol est? Minime, oculus tantummodo eius est, nihil amplius. — A sententia nostra magnopere admodum non differt explicatio Macrobi (l. c. § 14), qui quidem Ianum quadriformem 'quasi universa climata maiestate complexum' interpretatur.

Servius (ad Aen. VII, 607) Ianum quadrifrontem ad quattuor anni tempora spectare putat. Zander vero plane novam invenit interpretationem quarti capitis, quod 'Solem de media nocte ante diluculum regiones caeli ad septentriones peragrantem' significare arbitratur, — quae tamen interpretatio subtilior videtur,

quam quae simplici ingenio hominum priscorum, qui quidem media nocte solis faciem vix umquam conspexerant, adiudicanda sit. Quadrifrons re vera sol dici potest, ut qui unoquoque temporis momento in omnes mundi partes circumspiciat, simul in orientem et occidentem ut in septentriones et meridiem (vel polum australem) spectans omniaque collustrans. Quam ob rem ab hominibus antiquissimis, quibus deos quoque ad humanam speciem accommodare opus erat, deus, ut omnia videret, oculos et facies in circuitu habere necessario existimandus erat.

Cum Iano gemino arcte coniunctum vulgo existimant Ianum *matutinum*, quem matutini temporis vel luminis patrem habuerunt. Nam ita iam Horatius cognomen illud intellexisse videtur, cum (Sat. II, 6, 20 sqq.) scribit:

Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt — sic dis placitum — tu carminis esto
Principium — — — —

Non multo aliter sentit Buttmannus, qui (Mythol. II p. 76) Ianum matutinum homines deis diei ingredientis tradere dicit, quemque primo quoque mane homines invocare solebant (Hartung. Rel. d. Röm. II p. 221 — Heffter, Rel. d. Griechen u. Römer p. 567, — Preller, Röm. Myth.[3] I p. 169 sq.), ut labori industriaeque ipsorum prospiceret efficeretque, ut omnia facta et cogitata prospere feliciterque evenirent.

Charles Ploix (Nature des dieux p. 100), qui Ianum pro deo crepusculi habet, affirmat cognomen illud *matutini* plane ostendere Ianum crepusculi vicem repraesentantem, quare Ianus geminus, 'qui semper videt *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω*' (Sen. de mort. Claud. 9), meritissimo vocari posse crepusculi matutini et vespertini vicarius ei videtur. Sed si meminerimus virum illum doctissimum omnes deos Iove, Neptuno, Plutone exceptis pro deis crepusculi habere, nulla fere est causa, cur multa fides ei habeatur, quippe qui res mythologicas non ab omni parte ponderet, sed in una quasi haereat. Ac ne solis quidem deus cognomine matutini Ianus esse convincitur, quod quidem aeque bene ad caelum serenum vel lucem caelestem quadrat, quippe cum Iuppiter ipse, quem nemo fere dubitat caeli appellare deum, matutini cognomen etiam habet (Martial. IV, 8) *).

---

*) *Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti*
Ad matutinum nostra Thalia Iovem.

Quae intercedat ratio inter *Ianum Matutinum* et *Matrem Matutam*, non satis est manifestum. Haec enim eadem atque Ops *) (dea Dia) est, quae ut Ianus *Consivius* ipsa *Consivia* vel *Consiva* appellatur (Fest. p. 186 b). Ceterum Ops Iano *patri* etiam eo respondet, quod *mater* appellatur (Varr. l. l. V, 64), ut omnes nubium deae (cfr Meyer l. c. p. 614 et Deecke, Etr. Forsch. IV p. 33). Praeterea si consideremus Festum (p. 122) *Matrem Matutam* matre bona interpretari: *Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant*, facile adducimur, ut credamus Ianum quoque ob bonitatem *Matutinum* appellatum fuisse. Ac qua alia re *bonum* se magis praestare potuit nisi luce hominibus allata vel, ut rem aliter exprimam, splendentem se hominibus offerendo et faciem, nocte modo obrutam, denuo ostendendo?

Ianum etiam *Iunonium* cognominatum esse Macrobius (Saturn. I, 15, 19) commemorat, hanc causam interserens: 'quod illi deo omnis ingressus, huic deae cuncti Kalendarum dies videntur ascripti'. Quam eandem interpretationem loco superiore (Saturn. I, 9, 16) idem praebet: 'Iunonium (invocamus) quasi non solum mensis Ianuarii sed mensium omnium ingressus tenentem; in ditione autem Iunonis sunt omnes Kalendae'. Merito Mayer (Giganten u. Tit. p. 82 ann. 69) hanc interpretationem in dubitationem vocavit, ut quae non sufficiens sit. Ac re vera mirum esset, si Kalendis Iunoni et Iano sacratis deus summus ideo, quod istiusmodi honorem cum dea inferiore communem haberet, cognomen inferioris susciperet superior. Ego contra puto. *Calendaris* enim potius nuncupari debuisset (cfr Merkel, Ov. Fast. p. CCXLII). Neque recte duodecim illae arae pro totidem mensibus dedicatae (Macrob. I, 9, 16) ad Iunonii cognomen referri videntur, ut animadvertit idem Merkelius (l. c. p. CCXXVIII). Falso etiam Macrobius (Saturn. I, 15, 20) vim et naturam Iunonis constituit, quam eandem lunam esse arbitratur. Philosophorum enim commentis in hunc errorem raptus est. Aetatis enim posterioris haec opinio est, ut quae physicorum rationi debeatur, teste Ioanne Lydo (de mens. III, 7); *οἱ γὰρ φυσικοὶ — — — Δία μὲν τὸν ἥλιον, Ἥραν δὲ τὴν σελήνην ἐνόμιζον εἶναι* et IV, 29: *κατὰ δὲ τὴν πρώτην τοῦ Μαρτίου μηνὸς Ἥραν ἐτίμων, οἱονεὶ τὴν σελήνην διὰ τὴν νεομηνίαν.* — Neque multo aliter eandem rem enarrat Macrobius (Saturn. I, 15, 20), scripsit enim: 'cum enim initia mensium maiores nostri ab exortu lunae servaverint, iure Iunoni addixerunt Kalendas, lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia

*) Meyer, Indog. Mythen II p. 614.

luna per aerem meat, — — — Iuno autem aeris arbitra est'. Neque is quidem stoicam non sequitur doctrinam, ut hic locus Ciceronis (N. D. II c. 26 § 66) planissime confirmat: 'aer autem, ut stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur; quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio'. Stoici igitur, ut erant audaces in verbis comparandis, voces, quales sunt *ἀήρ* et *Ἥρα*, inter se confuderunt, easque origine et vi consimiles existimarunt — quo tamen nihil perversius. Ac cum appareat naturam deae concessa vocum illarum cognatione eos statuisse, iam per se intelligitur, quanti habenda sit opinio ista.

Magni momenti non sunt quae Servius (Verg. Aen. VII, 610) ad cognomen illud declarandum perhibet: 'Idem *Iunonius*, inde pulchre Iuno portas aperire inducitur' (cfr Serv. ad Aen. II p. 610). Recte vero monuit Meyer (Indog. Mythen II p. 614) ab hominibus posterioris aetatis tantummodo Iunonem ac lunam eandem esse existimatam. Primo enim nubis fuit dea, et haud scio, an nubis fuerit dea tempestatem cum tonitribus parturientis, unde *Lucina* est vocata ut Iuppiter ipse *Lucetius;* quocirca non adeo perverse Marc. Capella (II c. 5) disputat: 'Te, inquit, Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari'. Nam ut cognomen Iovis *Lucetii* ita etiam cognomina Iunonis *Lucinae* et *Lucetiae* ad lumen fulminis esse referenda puto et inde explicanda.

Ac re vera temporibus aliis aliter ipsius Iunonis deae vis est definita et accepta, ut luculenter demonstrat hic locus Augustini (c. d. VII, 16): '*Quandoquidem etiam matrem Magnam eandem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt esse quam Terram eamque perhibent et Iunonem*' — (cfr Varr. l. l. V, 69). Eodem modo *Δημήτηρ* quasi *Γημήτηρ* (Cic. N. D. II c. 26) a Graecis nominata esse (falso *) dicitur. Sed Tellus vel Terra eadem atque Ops etiam habetur (Aug. c. d. VII, 24). Dea igitur caeli et nubium in deam aeris, lunae, terrae **) denique mutata est — acceptis poetarum et philosophorum commentis.

---

*) *Δ* pro *γ* in *δᾶ* plane fictum est, ut docet Ahrensius (dial. dor. p 80); 'ubicunque terrae significatio paullo certior est, in omnibus Doricae dialecti fontibus *γᾶ* legitur, cfr p. 130, 197 [2]) et librum meum: Quæst. etym. et gr. p. 27 sq.

**) Aug. c. d. VII, 16: *Itemque Iano secundarum causarum domina et Iuno aer et Iuno terra — — — Sic et Iuno est terra et mater magna et Ceres.*

His ita constitutis iam per se apparet Macrobium falso docuisse Iunonem — si primam deae naturam quæras — eandem esse ac lunam, unde facile sequitur, ut cognomen illud Iunonii aeque male sit interpretatus, quippe cum interpretationes eius commentis philosophorum solis nitantur neque ad opiniones priscorum hominum sint accommodatae. Quam ob rem interpretatio eius est respuenda.

Meliorem vero interpretationem cognominis appellati Labeo (ap. Lyd. IV, 1) perhibet, qui quidem Iunonium idem significare dicit atque aerium: *Ἰουνώνιον τουτέστιν ἀέριον.* Quae saltem interpretatio propius accedit ad primariam Iunonis significationem, cuius nominis originem e radice *div*, quae in forma *Diovei* (osc. *Diúvei*) cernitur, repetivimus. Nomen vero Iunonis Grassmann (KZ XVI, 161) per has figuras **div-onā*, **di-ōna*, **dj-ōna*, **dj-ūn-on* explicat, dum a Corsseno (Ausspr.[2] I p. 212 et 668) Iuno > *Diou-n-on ad stirpem *Diov* (*Diou-na, *Iuna, Iu-n-on) refertur. — Quod si ita est, cognomen *Iunonii* nihil aliud significare posse mihi videtur quam *splendidum* vel *caelestem*, quo igitur cognomine Ianus caeli deus esse tantummodo indicatur.

Societatem aliquam et coniunctionem inter Ianum et Iunonem olim fuisse communis quidam utriusque numinis cultus etiam ostendit, cuius indicia et apud Macrobium (Saturn. I, 9, 16) et Ovidium (Fast. 265 sqq.) et Vergilium (Aen. VII, 620—623) exstant (cfr Merkel l. c. CCXLII). Communis cultus Iano Curiatio et Iunoni Sororiae fuit teste Dionysio Hal. 3, 22 (cfr Merkel, l. c.). Eiusdem cultus mentionem etiam facit Festus (p. 297: *'duo tigilla tertio superiecto, quae pater eius constituerat, velut sub iugum missus subit, consecratisque ibi aris Iunoni Sororiae et Iano Curiatio liberatus omni noxa sceleris est auguriis approbantibus* cet. et p. 307: *Sororium tigillum appellabatur locus sacer in honorem Iunonis, quem Horatius quidam statuerat causa sororis a se interfectae ob suam expiationem'*.

Consivius etiam cognominatus est Ianus, — quod quidem cognomen non minorem quam cognomina iam dicta praebet difficultatem interpretanti. Itaque mythologi nonnulli huius seculi, qui vocabulum a *conserendo* duxerunt, Ianum Consivium deum sationis esse simpliciter indicarunt: quo in numero sunt Hartung (Rel. der Römer II p. 224), Schwenck (Myth. d. Römer p. 133), Heffter (Rel. d. Gr. u. Röm. p. 567). Hartung agricolas, cum vernis temporibus ad agros arandos se conferrent, Ianum Consivium invocare esse solitos etiam narrat (l. c.).

Paullo secus antiqui hoc cognomen intellexerunt, de origine vocis et significatione idem fere senstientes, attamen non ad segetis sationes, sed ad propaginem generis humani nomen illud spectare existimarunt. Ita quidem Macrobius censet (Saturn. I, 9, 16), Consivium ita interpretatus: *'Consivium a conserendo, id est a propagine generis humani, quae Iano auctore conseritur'.* Neque multo aliter Augustinus (c. d. VII, 2) eadem de re iudicat: 'ipse primum Ianus cum puerperium concipitur — — — aditum aperit recipiendo semini; — quae eadem sententia (ib. VI, 9) repetitur: 'Varro — — — enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numerum est exorsus a Iano' et VII, 3: 'illi etiam quod aperitur conceptui non immerito adtribui'. Eodem modo Tertullianus (ad nat. II, 11) nomen enodat: 'ut sit deus Consevius quidam, qui consationibus concubitalibus præsit. — Preller autem, qui (Röm. Myth. [3] I p. 171) cognomen Consivii eodem sensu intellectum vult, Ianum Consivium omnium animantium auctorem esse censet.

Iterpretationem plane novam eiusdem cognominis praebuit Cornelius Labeo (Lyd. IV, 1): *ὁ Λαβεὼν οὖν φησιν αὐτὸν καλεῖσθαι Ἰανὸν Κοσίβιον τουτέστι βουλαῖον.* Consivium igitur et *consiliarium* idem significare statuit. Quae saltem significatio non plane perversa mihi videtur, nam si ita est, Consivius ad Consum est referendum, qui teste Festo (p. 41) deus consilii erat: *Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant.*

Quod idem confirmatur loco Plutarcheo (Rom. XIV, 6): *ὠνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον εἴτε βουλαῖον ὄντα — — — εἴτε ἵππιον Ποσειδῶ.* Potius credo Ianum Consivium esse deum rerum occultarum et res occultas patefacientem. Nam ad verbum *condendi* nomen illud referendum puto, ut Consus > **Cond-tus* sit (cfr Stolz, lat. gr. [2] p. 307). Praeterea non Consivius sed Consevius iusta est forma, — si a radice *se* est petenda — quam formam Tertullianus (ad nat. II, 11) etiam habet, si Oehlero credendum est — cum formae cognatae, quales sunt *seri, se-minium, seminare, sementis* cet., omnes *e* praebeant (cfr tamen Stolz, lat. gr. [2] § 8 et Corssen Ausspr. [2] I p. 418 ann.). Sed utra interpretatio vera sit, non facile est diiudicare, ac si formam solam respicimus, in medio res prope est relinquenda.

Sed ipsa rerum natura magis comprobatur interpretatio eorum, qui Consivium procreatorem vel auctorem vitae animalis habeant. Nam haec opinio valde ad sententiam eorum quadrat, qui Ianum creatorem existiment, Saliorum quoque carminibus confirmatam, ut iam supra diximus. Ianus igitur Consivius

quasi conservator est rei creatae vel creator perpetuus: luce enim caelesti et aquis caelestibus omnium animantium genera recreat reficitque. Nam e deo caelesti pluvias aliasque res aerias pendere existimatas esse magnopere est credibile. Veri simile autem non est imperium summi dei antiquissimis temporibus finibus angustioribus terminatum fuisse quam temporibus illis, quibus principatus deorum Iovi, qui etiam caeli erat deus, iam delatus esset. Hoc etiam id indicare videtur, quod Ianus creator fontium appellatur. Fontis vel Fonti, cuius ara in Ianiculo fuit (Cic. Leg. II, 22, 56), parens est (Charles Ploix, Nat d. dieux p. 107). Imbribus enim coelo demissis aquae terrestres ali videntur. Neque sine ullo momento est, quod Iuturna, dea vel nympha fontium et aquarum, uxor Iani esse dicitur. (Arnob. adv. nat. III, 29). Quae quidem dea, sive ipsam nominis vim et originem respicis sive necessitudines, quae ei cum Iove intercedant, magis caelestis quam terrestris dea esse videbitur. E dea caelestium aquarum terrestrium dea est facta. Neque id mirum est, siquidem consideramus ipsam Iunonem pro Terra postremum esse habitam, ut iam supra commemoravimus.

Quirinus Ianus etiam cognominatus est teste Macrobio (Sat. I, 9, 15): *In sacris quoque invocamus Ianum Geminum, Ianum patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, Ianum Quirinum* cet. — Hoc cognomen idem Macrobius (l. c. 16) de deo belli interpretatur: "Quirinum quasi bellorum potentem ab hasta, quam Sabini curin vocant". De origine nominis *Quirini* omnes fere antiqui scriptores idem statuerunt, ad vocabulum Sabinum, quod est curis, id omnes referentes, ut Vergilius (Fast. II, 475 sq.):

Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus, —

Festus (p. 49 s. v. curis): *Curis est Sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus; et Romani a Quirino Quirites* — continue pergens: *Curitim Iunonem appellabant, quia eandem ferre hastam putabant.* De cognomine Romuli Festus egit. Quin de Iano deo mentionem fecerit Macrobius (l. c. 16), nulla esse potest dubitatio, sed cum apud Suetonium (Aug. c. 22) sit: *Ianum Quirinum — ter clusit*, hoc ad templum dei clausum pertinere aeque est manifestum — metonymice enim nomen dei hic pro templo positum est *). Eandem formulam

*) Male de hac re existimavit Buttmannus, Myth. II p. 82 sq.

Horatius (carm. IV, 15, 9) variatam ita reddidit: *Ianum Quirini clausit*, quam tamen Gronovius corrigendam censuit: *Ianum Quirinum clausit* — quod saltem ad usum vulgatum*) maxime convenit, nam apud Festum quoque (p. 189) legimus: *Ianui Quirino agnum marem caedito.* Scripturam vero codicum Horatianorum Kiessling eo defendit, quod *Ianus* pro appellativo hic acceptum sit. Ac re vera haud aliter a Varrone (l. l. V, 165) sacellum**) Iani *porta Ianualis* appellatur, ut a Vergilio (Aen. VII, 607) gemini portae belli et ab Augustino (c. d. III, 10) Iani gemini portae commemorantur (cfr Jordan, Top. II p. 345 sq.). Sed quomodocumque se res habet, plane pro certo affirmari potest Iano cognomen Quirini fuisse***) Ianumque Quirinum deum bellorum tutelarem habitum esse. Ad deum belli etiam spectat cognominis Quirini interpretatio Labeonis (Lyd. de mens. IV, 1): *Κυρῖνον, ὡσανεί, πρόμαχον.* Neque multum ab hoc interpretamento differt quod ib. IV, 2, editur: *φασὶ δὲ τὸν αὐτὸν καὶ ἔφορον τῶν ἐπὶ πόλεμον ὁρμώντων τυγχάνειν.* — Ianum Quirinum †) deum bellorum praesidem habitum esse quodammodo etiam indicat locus Livianus (I, 32, 9), ubi fetialis bellum his verbis indicit: *audi Iuppiter et tu, Iane Quirine, diique omnes caelestes* cet.

Ad originem vocabuli Quirini illustrandam nihil effecerunt interpretes veteres vocabulum, quod est curis, in comparationem vocando, nam etiamsi eadem sit origine utraque vox, alteri altera nihil fere luminis affert. Cognatae tamen esse videntur.

De origine et vi vocabuli recte statuit primus Fröhde (Bezzenb. Beitr. VII, 100): Dem gr. *πολῖτισ* (auch beiname der Athene) "bürgerin" entspricht nach bildung und bedeutung lat. *Curitis Quiritis* (beiname der Iuno) von *Quirît* — "bürger"; der grundstamm ist *Curi* aus *Quiri* — in *Cures* "burg", wozu auch *Quirînus* (vgl. *πολιεύσ*) gehört.

At quaenam est radix, quaenam primaria significatio vocis *Quirini?* Radix indoeuropaea *quer* est statuenda, quae *robustum* vel *firmum* esse significare

*) Ad exemplum haud dissimile Suetoni (Neron. 14): *Ianum geminum clausit* allegare hic non est alienum, nam ut male se habuisset *Ianum Gemini*, male se etiam habet *Ianum Quirini*.

**) vid. Herm. IV, 252 sq.

***) Herm. IV, 235 ann.

†) E Iano Quirino deus proprius et sui potens factus est Quirinus, bellorum praeses et quasi alter Mars, quorum uterque qualitatem quandam primi dei reddit et ab eo seiunctus est existimandus (cfr Mommsen, Röm. Gesch. I[8], p. 160 — Serv. ad Aen VII, 610).

videtur: ad eandem radicem vocabulum *quercùs* pertinere iudico. Quercus enim aptissime arbor robusta appellatur, ut *robur* et querc..s genus et firmitatem vel vim significat. Quae quidem opinio etiam confirmatur interpretatione Festi (p. 259): *quercus dicitur, quod id genus arboris grave sit ac durum, — Querqueram enim gravem et magnam quidam putant dici.*

Cures vel *curis* mihi idem valere videtur atque locus munitus vel arx, nostrum *borg*. Deus arcis, quae quasi cor et caput urbis erat, Ianus Quirinus est habitus, neque aliud Quirinus sibi vult quam *arcis tutor.* Veterrima Romae arx in Ianiculo erat, ut etiam indicant hi versus Ovidi (Fast. I, 245):

Arx mea collis erat, ultrix quem nomine nostro
Nuncupat haec aetas Ianiculumque vocat.

Iano Quirino respondet graecorum Ζεὺς πολιεὺς (Plut. Dem. 42, Coriol 3). A Latinis vero posteriore quidem aetate tutela urbis Iovi est delata eique huius muneris gratia nomen Statoris inditum, quod nomen Livius (I, 12, 6) recte interpretatur, cui prorsus assentitur Seneca (de benef. IV, 7), ampliorem tamen vim voci illi attribuens: *quod stant beneficio eius omnia.*

Quirinus, e radice *quer* > **Quer-inus* est, ut inquilinus > *inquelinus et exquiliae, exquilinus > *exquel-iae, *ex-quel-inus (cfr Mommsen Röm. Gesch. [6] I p. 51) e radice quel, cfr Stolz, lat. gramm. [2] p. 320. Plura exempla eiusmodi litterae *e* in *i* mutationis in latinitate posteriore a Corsseno (Aussprr. II p. 358) enumerantur. Suffixi et radicis vocales mutua vi sunt assimulatae, nam explicatio Corsseni et p. 356 l. c. et p. 358 falsa est.

Formae autem *Cur-i-tis*, *Cures* cet. ad levissimam radicis formam q^r_o sunt redigendae (cfr Stolz lat. gr. [2] § 43), nam e **Quiri* — > **Queri *)* statim explicari non potest *Curi* — ut vult Fröhde (l. c.). Quia tutor erat arcis, quae quasi sedes ac domicilium imperi erat, bellorum praeses facile factus est Ianus. Cuius muneris manifestissimum signum est templum eius belli tempore apertum, pace vero clausum (Varr. l. l. V, 165; Liv. I, 19, 2). Qui quidem mos, etsi diversissimis modis intellectus, satis aperte deum belli indicat. Immo vero ipsae portae sacelli *geminae portae belli* (Verg. Aen. VII, 607) nominantur, ut deus ipse a Lucano *belliger* appellatur (Phars. I, 62):

— — — *Pax missa per orbem*
Ferrea belligeri compescat limina Iani.

---

*) Cfr Jordan, Herm. IV p. 235 [1]).

Neque aliter de eodem templo commemorat Plutarchus (Num. 20): *ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς ἐν Ῥώμῃ δίθυρος, ὃν πολέμου πύλην καλοῦσιν.*

Cur belli tempore claudi et pace aperiri soleret templum Iani, ne inter antiquos quidem scriptores satis convenit. Alii enim putarunt belli genium pace templo inclusum et a Iano custoditum, cum bellum esset susceptum, ad hostes depellendos emitti. Ita Vergilio (Aen. I, 293 sqq.) persuasum esse videtur: — — *dirae ferro et compagibus artis claudentur Belli portae; Furor impius intus salva sedens super arma et centum vinctum aënis post tergum nodis fremet horridus ore cruento.* Alio loco (Aen. VII, 610) Ianum ipsum custodem inducit idem: — *nec custos absistit limine Ianus.* — Alii contra templum Iani non belli sedem et domicilium putarunt sed ipsius pacis portasque quasi ad pacem intra muros servandam claudi solere. Hanc sententiam amplexi sunt et Horatius (Ep. II, 1, 255):

Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum et Ovidius (Fast. I, 281):

Pace fores obdo, ne qua discedere possit.

Inter mythologos vero recentiores Charles Ploix (nat. des dieux p. 108) sacellum rebus suspensis apertum fuisse opinatur, ne perpetui auxilii societas inter deum et illos, qui fidei eius se commisissent, dirimeretur. Sententiam haud dissimilem Heyne (Exc. ad Aen. I, 9) amplexus est: — "bello indicto prisco more patebat adeuntibus et supplicantibus". Atque aliquid saltem veri vel veri similis unicuique harum opinionum facile inest. Rei vero summa in eo vertitur, quod Ianus a principio pro deo belli est habitus. Nam arcis tutelaris deus (Quirinus) belli deus sit, paene est necesse. Ac cum arx quasi sedes imperi esset, custodem arcis totius imperi romani custodem etiam existimatum esse consentaneum est. Sin vero ad imperium conservandum bello erat opus, ad bellum gerendum se contulit deus. Bellum enim quasi via erat, qua pax et tranquillitas turbata civitati pararetur. Itaque tutor arcis et civitatis etiam belli deus est factus. Ac cum ad imperium defendendum vel stabiliendum proficisceretur exercitus, sine dubio deum ipsum sequi prisci illi homines credebant. Haec enim persuasio, opinor, causa erat prima templi aperiendi. Nam recte, puto, dicit Preller (Röm. Myth. [3] I p, 174) templum apertum deum ipsum comitem exercitui se praebentem symbolice ostendere — Horam Quirini, deam illam felicitatis, de qua mentionem fecit Plutarchus in Quaest. Rom. c. 46, in comparationem vocans. Neque aliter concludit Macrobius (Saturn. I, 9, 18): *Ea re placitum, ut belli tempore velut ad urbis auxilium profecto deo fores resera-*

rentur. Victoria vero reportata et tranquillititate rei publicae recuperata templum dei, victoriae datoris, est clausum.

Fabula illa, ubi Macrobius *) (I, 9, 17) enarrat originem et causam huius consuetudinis Ianum, deum belli desribit. Inducitur enim deus ipse Romanis summo in periculo auxilium ferens, portas, quas milites frustra hostibus irruentibus claudere conantur, aperiens, hostes irruentes conficiens. Nec mirum est Romanos bellicam artem summo deo iam antiquissimis temporibus attribuisse. Neque id Romani soli fecerunt, aliae quoque gentes indogermanicae eodem modo egerunt. Nam ut exempla afferam, Germani quoque summum deum, qui *Ziu* vel *Tyr* est nominatus, belli deum esse existimarunt. Immo etiam, quamquam summi dei muneribus omnibus perfunctus esse existimandus est (nam etymologice plane respondet summis deis cognatarum gentium, qui sunt Dyâus, *Ζεὺς*, Iuppiter), belli tantummodo deus posteriore aetate est habitus (cfr librum meum: Indog. h. g. p. 88).

Ianus Quirinus eodem fere munere atque Iuppiter Capitolinus, qui posteriore aetate civitatis arcis erat tutor, a principio perfunctus esse videtur, si quidem cognomina illa, ut videtur, idem significant. Capitolium enim ad vocabulum *capitis* est referendum, unde facile sequitur, ut primaria significatio sit *hufvudort, hufvudplats* **) i. e. borg vel arx (cfr Corss. Ausspr. ² II p. 85, Preller R. M. ³ p. 217). Ab hac sententia nihil fere differt Jordani, cui Capitolium idem atque "Hauptberg" valet (Top. I p. 180). — Praeterea commemorandum est nomen antiquioris Sabinorum arcis in recentiorem in monte Tarpeio esse

*) — — bello caulae eius patent pace clauduntur. Huius autem rei haec causa narratur. Cum bello Sabino quod virginum raptarum gratia commissum est Romani portam, quae sub radicibus collis Viminalis erat, quae postea ex eventu Ianualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant: postquam est clausa, mox sponte patefacta est: cumque iterum ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt: cumque ex alia parte acerrimo praelio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio notros. Quam ob causam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt: cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex aede Iani per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas aut exustas ferventi aqua aut devoratas rapida voragine deperisse. cfr Iordan, Herm. IV p. 253 et Top. II p. 349 [52].

**) In Chalcid. Tim. 233: *pars eius tamquam totius corporis Capitolium* idem atque caput significat eadem vox. De ipsa forma egit Corssen (Ausspr. II, 85) — Capit-ōl-ium: capit-al-is = prim-ōr-es: prim-ār-ius (cfr Jordan, Herm IV p. 246 ann.). Praeterea commutatio illa soni aliquid sustinetur formis consimili vi, quales sunt *praetorium, auditorium, Olitorium*, id genus alia et ipsa voce *Capit-ōn-is* (cfr etiam Stolz, lat. gr. ² p. 265).

translatum. Latinorum vero arx *Roma* in monte Palatino erat (Crossen. l. c.). Ut commemorat Macrobius (Sat. I, 9, 17 et 18), Ianus Quirinus reapse defensor exisistit veteris arcis Palatinae contra Sabinos, novi Capitolii conditores (Corssen. l. c.). Roma igitur, cuius vocis origo etiamnunc est obscura, nam ad radicem *sru* (Corss. Ausspr. I [2] p. 364) vix referri potest (cfr Stolz, lat. gr. [2] p. 304), si cum graeco vocabulo, quod est *ῥώ-μη* vis, robur confertur, ad significationem vocis, quae est *Cures* (arx), plane quadrat atque eadem origine atque *robur* (cfr Curt. Grundz. [5] p. 353) esse videtur. Quod si ita est, *Roma* ut *Cures* locum munitum (befästad ort) significat, quae saltem significatio multo aptior quam illa "Stromstadt", quam proposuit Corssen (l. c.) videtur.

Cognomini Quirini forsitan cognatum sit cognomen *Curiatii*, quod Iano etiam addi constat, si quidem vocem *curiae* ad eandem radicem, quae in Quirino inest, referre licet, formam tamen $q\bar{r}$ vocalis longa flagitat (cfr Brugmann Grundr. I p. 246 et Stolz, lat. gr. [2] p, 285). Sed, utut est, cum curia sine dubio cohaeret Curiatius, ut Curiatius idem fere significet atque tutor curiae vel domus publicae, quo Quirites vel cives convenire solebant ad publicas res gerendas (cfr Fest. p. 49). Neque aliter cognomen *ἀγοραῖος* nonnullis deis a graecis inditum est. Klausen teste Roschero (Lex. Myth. II, 21) Curiatium deum esse curiarum arbitratur. Falso vero, opinor, Corssen (Ausspr. [2] I, p. 353) vocem appellatam ad radicem *sku* retulit, ut curia pro **cusia* esset.

Veteres interpretes, qui in etymologicis rebus semper fere parum accurati sunt, satis leviter cognomen dei a nomine Curiatii cuiusdam ab Horatio in tergemino certamine interfecti duxerunt. Quo de certamine haec narrat Festus (p. 297): *ex conventione Tulli Hostili regis et Metti Fufetii ducis Albanorum trigemini Horati et Curiati cum dimicassent, ut victores sequeretur imperium, et Horatius noster exsuperasset, victorque domum reverteretur, obvia soror cognita morte sponsi sui fratris manu occisi aversata est eius osculum, quo nomine Horatius interfecit eam. et quamquam a patre absolutus sceleris erat, accusatus tamen parricidi apud Duumviros, damnatusque provocavit ad populum, cuius iudicio victor duo tigilla tertio superiecto, quae pater eius constituerat, velut sub iugum missus, subit consecratisque ibi aris Iunoni Sororiae Iano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est auguriis adprobantibus.*

Interpretatio huius cognominis, quam praebet Labeo apud Io. Lydum (IV, 1): *Κουριάτιον* (sc. *Ἰανὸν καλεῖσθαι*) *οἱονεὶ ἔφορος εὐγενῶν*. dei cognomen ad Curiatium eundem refert, quasi deus praeses nobilium Curiatium voca-

retur: *Κουριάτιοι γὰρ και Ὀράτιοι ὀνόματα εὐπατριδῶν εἰσι.* Magis etiam mira est interpretatio Creuzeri (Symb. II p. 885), qui Curiatium et curatorem mundi idem significare putat. *Patricii* quoque cognomine Ianum idem Labeo cognominavit, quod tamen non, ut ex interpretatione iam allata suspicari possis, ad patriciorum deum refert, ut quasi patriciorum parens vel genius sit Ianus, sed indigena (*αὐτόχθονα*) interpretatur. Omnes vero istae interpretationes, ut in coniectura positae, non magni sunt momenti.

Duo praeterea cognomina Iani ab Ovidio (Fast. I, 129 sqq.) commemorantur:

— — — modo namque Patulcius idem
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

Sed ne ad haec quidem cognomina intelligenda probabile quidquam attulerunt interpretes antiqui. Nam quod dicit Macrobius (Sat. I, 9, 16) Ianum appellari Patultium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur, nemini probari potest, quamquam Servius quoque idem fere narrat ad Verg. Aen. VII, 610: *Alii Clusivium dicunt, alii Patulcium,quod patendarum habeat potestatem.*

Ab horum sententia non adeo differt Labeonis, qui quidem apud Io. Lydum (mens. IV, 1) interpretatur *Κλουσίβιον ἀντὶ τοῦ ὁδιαῖον,* et *Πατούλκιον καὶ Κλούσιον οἱονεὶ θυρεόν.* —

Multo melius haec declarant cognomina, finibus adeo angustis non circumscripta, hi Ovidi versus (Fast. I, 117 sqq.):

Quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.

Iis vero, qui Ianum solis deum esse existimarunt, cognomina illa nullam interpretandi difficultatem praebent. Ianus enim utriusque ianuae caelestis ianitor (Ovid. Fast. I, 125) fit, "qui exoriens aperiat diem, occidens claudat" (Macrob. Sat. I, 9, 9; Ovid Fast. I, 139).

Sed nobis persuaderi non potuit Ianum esse deum solis, quae opinio solis stoicorum placitis debetur. Praeterea ne solem quidem sibi ipsi ianuam caelestem aperientem et claudentem animo sibi finxisse, antiquos, credo, praesertim cum hoc munus inferius iam Homerus Horis attribuerit (Il. V. 749):

αὐτόματοσ δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἃσ ἔχον Ὧραι.

Verum Roscher (Hermes, der Windgott. p. 120) primus vidisse mihi videtur, cognomina illa Patulcii et Clusivii ad caelum referens. Nam si consideremus

Romanos caelum nubibus vacuum *patentem* vel *apertum* *) appellare solitos esse, nubibus vero obductum *clausum*, Patulcium esse caelum nebula depulsa, Clusivium vero de caelo nubibus se obducente dici facile est verisimile. Quod quidem magis etiam veri simile fit, si meminerimus Iovem quoque, deum caeli, *Patulcium* et Iunonem, deam caeli, *Patulciam* vocari (vid. Forcellini lex. s. v.).

Ac caelo ipsi quam maxime conveniunt cognomina appellata, quippe cum prisci illi homines caelum apertum vel serenum deum hilarem vel mitem, clausum vero iratum deum indicare haud dubie putarint. Caelum vero clausum et atrum diem ab initio idem significasse credo et deum iratum ostendisse, nam atro die Ianum Iovemque nominari non oportuit, ut apud Macrobium (Sat. I, 16, 25) legimus: "Sed et Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro XII negat opertere atro die parentare; quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet."

Sed de ipsa quoque vi et significatione horum cognominum falso statuerunt, qui activam proposuerunt vim, ut Patulcius *reclusor* et Clusius esset *clusor*. Sicut Roscher (Hermes, der Windg. p. 120) Patulcium et Clusium vel Clusivium vocibus germanicis *Oeffner* et *Schliesser* vel Thürhüter interpretatur. Cui explanationi non repugnat interpretatio Servi (ad Verg. Aen. VII, 610: — — "quod patendarum portarum habeat potestatem" neque, ut videtur, Ovidi (Fast. I, 132):

Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversus significare vices.

Macrobius vero passivam vim his cognominibus tribuere potuit, scribens: (invocamus Ianum) Patultium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur. Clusius vero vel Clusivius nihil aliud quam clausum significare potest, nam cum forma participiali clausus vel clusus proxime est connectendum Clus-iu-s vel Clus-iv-iu-s. Claudius contra vel Clodius potius claudentem significat. Ad significationem vero propriam vel passivam formae clusi mutandam neque suffixum *ivo* neque *io* neque haec cumulata (iv-io) aliquid valent, ut

---

*) Liv. XXII, 6: diem *aperit* dispulsa nebula. Cic. de divin. I, 1: *patens* caelum ex omni parte atque *apertum* intueri. Verg. Aen. I, 587: scindit se nubes et in aethera purgat *apertum* (cfr Roscher l. c. p. 121 ann. 469). Hanc eandem rem plane declarat versus ille homericus: (*τῆς ἐπιτέτραπται*) — — *ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι,* ubi nubes quasi velamen caelum claudens et aperiens fingitur.

ostendunt exempla, qualia sunt *nat-ivu-m* et *nat-um, capt-ivum* et *captum, sativum* et *satum.*

Patultius *) vero ad *patulum* (apertum) proxime referri potest, substantivi formam **patultia* (öppning) flagitans, ut Prudentius (prudens) ad prudentiam est revocandum et Constantius ad constantiam (cfr Henry, gramm. comp. § 151, 7).

Eodem modo serenum caelum Iovem laetum hilaremque indicare poetarum testimoniis confirmatur, ut his Enni versibus (cfr Sen. ad Am. I, 254):

Iuppiter hic risit tempestatesque serenae
Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.

et his Vergili (Aen. I, 254):

Olli subridens hominum sator atque deorum
voltu, quo caelum tempestatesque serenat.

(cfr Preller, R. M. [3] p. 190).

Ianum igitur Patultium et Clusium vel Clusivium idem atque patentem et clausum caelum a principio significasse hac proxima disputatione confirmare conatus sum.

Quo concesso hoc quidem firmamentum iis eripitur, qui Ianum cognominibus illis deum ianuarum indicari statuunt, quippe cum falsa interpretatione sola haec sententia nixa sit. Sed iam per se apparet duo verba, qualia sunt Ianus et ianua quaeque eundem sonum referunt, copiosam comparandi et confundendi materiam hominibus antiquissimorum temporum in fabulis fingendis praebuisse. Atque Ianum ob ipsam sonorum similitudinem deum ianuarum esse constitutum vix dubitari potest, neque multo aliter sentire Macrobius (Sat. I, 9, 7) videtur, cum dicat: "Sed apud nos Ianum omnibus praeesse ianuis nomen ostendit, quod est simile *Θυραίῳ*. Nam vix fieri potuit, quin Ianum et ianum vel ianuam conferrent et confunderent antiqui, cum originem et vim horum vocabulorum considerarent. Ac cum de cognatione nominum non dubitarent, fieri non potuit, quominus deus, cuius nomen ianuam significaret, ianuarum esset deus. Immo etiam custos portarum vel ianuarum est habitus (Macrob. Sat. I, 9, 7 — Aen.

---

*) Haec forma codicibus melius confirmata videtur quam altera (Patulcius). Nam ad Ov. Fast. I, 129 codd. DE Kb *Patultius* habent *fr* vero *patucius* — sed commemorandum est *t* et *c* saepe in libris commutari, e. gr. in Macrob. Sat. I, 9, 16, ubi cod A habet formam *pacultium* i. e. *patultium.*

VII, 610). Convenientius tamen Ovidius caelestem eum ianitorem fingit, nam ipse deus (Fast. I, 125) inducitur dicens:

Praesideo foribus caeli cum mitibus Horis.

Ad Ianum igitur ianitorem cognomina, quae sunt Patultius et Clusius vel Clusivius, statim sunt accommodata, quae eum quasi ianuas aperientem et claudentem describere viderentur. Etymologia vero falsa ducti haec omnia finxerunt-quod verbis apertis paene concedit Macrobius —: "Ianum, inquit, omnibus praeesse ianuis *nomen ostendit*. Eodem fere modo Preller (R. M. [3] p. 172), rem diiudicat, affirmans Romae omnes portas omnesque ianuas memoriam Iani referre, quippe cum nomine eius iani vel ianuae nominarentur, sed prorsus perverse iudicat.

Cum vero ianitor esset factus Ianus, proximum erat, ut omnia ianitoris insignia ei attribuerentur. Quam ob rem et virga et clavi ornatus fingitur, ut testatur idem Macrobius (Sat. I, 9, 7): Nam et cum clavi ac virga figuratur, quasi omnium et portarum custos et rector viarum. Quare ab Ovidio (Fast. I, 99) Ianus ianitor verus vel custos ianuarum, omnibus ianitoris insignibus praeditus inducitur "tenens baculum dextra clavemque sinistra". Ianum in fabulis cum Cardea, Limentino *), Forculo, quae nomina paene allegorice sunt accipenda coniunctum occurrere, non est mirum: causa est tota in continua etymologiae falsae ratione posita. Cum eadem ratione arcte cohaeret quod Ianus omnis felicis introitus et exitus erat deus. Cfr Hartung, Rel. der Röm. II p. 219 — Buttmann, Mythologus II p. 76, Preller. R. M. [3] p. 172). Hanc eandem rem paullo aliter, minus tamen accurate, hoc modo interpretatur Macrobius, ut *ob merita introitus et exitus aedium eidem (Iano) consecratos* dicat.

Quid clavis significaret, interpretes nihil fere inter se dissenserunt, nam clavi ad domum claudendam et servandam usos esse ianitores, vix est quod dubitemus. Baculum autem vel virgam fuisse teli genus simplicissimum, quo utebatur ianitor ad removendos homines iniquos, plane in promptu est. Nonnulli tamen baculum viatoris signum esse putarunt — quod tamen naturae dei adversatur. Quae vero Charles Ploix (l. c.) et Hartung (Rel. der Römer II p. 220) proposuerunt a re et veritate multo magis abhorret. Cum ianuarum deus introitus et exitus deus etiam esset factus Ianus, proxime sequebatur, ut initio-

---

*) Arnob. IV, 9: Quis (est qui credat) Limentinum, qui Limam custodiam liminum gerere et ianitorum officia sustinere — — —?

rum deus statueretur, quod quidem iam supra commemoravimus. Sed ne hoc quidem verum est, nam ob principatum dei male intellectum ita statuerunt.

Romani enim non maiorem initio tribuerunt vim quam aliae gentes, quamquam hoc Cicero (N. D. II. 27) probare studet, sed ideo tantummodo, quod principatam Iani aliter explicare non potuit. Praeterea ne Romani quidem hoc proverbium primi invenerunt: Dimidium facti qui coepit habet (Hor. Ep. I, 2, 40). Sed e graeco fonte sententia fluxit: *ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός* apud Lucianum legitur (Hermot. c. 3), cuius proverbi auctorem Pythagoram fuisse Iamblichus censet (cfr Plat. Rep. II c. 7: *ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον* et Aristot. eth. Nic. 1, 7 § 1098 b: *δοκεῖ γὰρ πλεῖον ἢ ἥμισυ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή*).

Cum Roscher (Lex. Myth. p. 29) Iani magnitudinem et honorem divinum, quamquam ab origine adeo vili esse profectum censet, Vestam in comparationem vocando defendere sit conatus, plane falso egit. Nam ut Ianus ab ianua ad honorem summi dei se umquam extollere potuisse ne cogitari quidem debet, ita honorem suum a foco, ubi servaretur ignis, Vesta numquam accepit, sed e contrario focus a Vesta. Vestam vero metonymice pro foco poni potuisse, hoc nihil ad rem commutandam valet. Vesta dea erat ignis *). Hinc honor eius est ducendus. Respondet enim Vesta dea deo Indorum, qui est Agni, carminibus vedicis permultis celebrato, et slavorum deo, qui erat *Ogunu* (cfr librum meum Indogerm. h. g. p. 92), ne de Persarum cultu ignium commemorem. Vestam igitur primitus deam ignis caelestis etiam fuisse credo, unde honorem primum dea terrestris ignis servavit, quem non primo e foco, ignis receptaculo vili, duxit.

Alia vero res, quae muneri Iani ianitoris eiusque cum ianua cohaerentiae repugnat haec est, quod publicus eius cultus antiquior vel gravior erat quam privatus, qui nullus fere fuisse videtur (cfr Roscher Lex. Myth. p. 32). Quae autem res plane contra se habuisset, si ianuarum deus ab initio Ianus esset habitus. Cultum autem publicum Iani e privato, qui antegressus esset, esse profectum et ex privato solo cultu cultum publicum posse explicari perverse saltem statuit Roscher (l. c.). Summum enim deum, ut qui deus esset deorum, iam a principio publice coli et venerari oportere consentaneum est (cfr Preller — Jordan R. M. p. 121). Quocirca eandem fuisse rationem venerationis Vestae

---

*) Nec aliter censuit Servius ad Aen I, 292 Vestam vero religionem: quia nullum sacrificium sine igne est, cfr Preuner, Hestia — Vesta p. 31).

plane est credibile, nam privatus huius deae cultus in monumentis litterarum rarissime commemoratur (Preuner, Hestia—Vesta, p. 232). Vesta autem populi Romani Quiritium praevaluit et publica eius fuerunt sacra (vid. Preller — Jordan R. M. p. 121), nam Vesta non erat singularum familiarum vel domuum dea sed publicae familiae vel civitatis (cfr Preuner. l. c. 245). Vesta igitur Italorum summae dignitatis erat dea. Quamobrem focus civitatis ceteros focos et sanctitate et dignitate longe praestitit (Preun. l. c.). E foco enim publico totam gubernavit civitatem Vesta. E foco publico antiquissimis temporibus, cum privati nondum essent, homines singuli ignem sine dubio sumpserunt, ac cum salus omnium e publico igne servato magna ex parte penderet, ignis, ne exstingueretur, quam diligentissime est servatus, cum virgines Vestales ignem foci publici custodirent. Quae cum ita sint, publicum et Iani et Vestae cultum privato multo praevaluisse et antiquiorem fuisse affirmamus, falsoque Roscher (l. c. p. 19) contraria contendit.

Nam cultus privati Iani dei nulla fere aut pauca tantummodo exsistunt vestigia, publici vero multa. Publicus enim erat dies festus maximus, qui Kalendis Ianuariis a populo romano universo celebratus est (Hartung, Rel. der Röm. II p. 221). Proprium et suum sacerdotem, sacerdotum omnium principem, qui rex sacrorum vel sacrificulus vocabatur, etiam habebat, cuius munus publicum fuerit, plane est necesse (cfr Preller R. M. p. 122). Sed non solum primo quoque anni die publica sacrificia Iano facta sunt sed etiam primo quoque mensis die. Nam sollemnes dies Iano omnes erant Calendae, ut apparet e verbis Macrobi (Sat. I, 9, 16): — — — *et Varro libro quinto Rerum divinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.* Quae sacra a rege sacrorum, cui salii adessent publici illi sacerdotes, fortasse sunt facta, (cfr Preller R. M. [3] p. 122) ut indicat Ioannes Lydus (de mens. IV, 2): *δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸσ τοῦ Νουμᾶ τοὺς . . . Σαλίους ὁρισθῆναι φασιν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.* — In templo Iani haec sacra singulis mensibus esse facta alius eiusdem scriptoris locus monstrat (IV, 2): *δωδεκάβωμον εἶναι τὸν αὐτὸν ναὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.*

De ipsa natura horum sacrorum teste Lydo (IV, 2) Varro nos aliqua ex parte fecit certiores: *Βάρρων . . . φησὶν αὐτὸν . . . λέγεσθαι . . . καὶ Ποπάνωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς Καλένδαις ἀναφέρεσθαι ποπάνονα.*

Publicus etiam erat cultus Iani Quirini (Hartung II p. 224). Priusquam enim bellum indictum est, populus universus Quiritium summa religione cærimo-

niaque eum colebat. Ad templum eius comitantibus senatoribus consul se contulit, toga indutus trabeata, templum aperiens et ad bellum iuventutem convocans (Preller, R. M.³ p. 175). Nec publica non erant Agonalia vel Agonia, quae ante diem V Idus Ianuarias quotannis agebantur. Tum rex sacrorum sacrificium faciens Iano arietem, principem gregis, immolabat (Preller R. M.³ p. 178). Cultum Iani et quidem publicum Romae pervetustum fuisse, ex eo concludi licet, quod iam a Romulo institutus esse dicitur hic cultus (Aug. c. d. IV, 23 — Roscher, L. M. II, p. 15).

